BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
B
13
NAPOLI



X – 13 – 13

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI VANIERII
E SOCIETATE JESU,
OPUSCULA.

EDITIO NOVA.

PARISIIS,

Apud PETRUM SIMON, Cleri Gallicani, necnon Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum, viâ vulgo *de la Harpe*, ſub Signo Herculis.

M. DCC. XXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI V.E. III

DE AMICITIA
ECLOGÆ
LUDOVICO XV.
REGI CHRISTIANISSIMO.

HACTENUS Agricolis , ſacræ reverentior aulæ ,
Rure tuum **LODOIX** atavum patremque (*a*) canebam :
Nunc Majeſtatem tua Rex cùm temperet (*b*) ætas ,
Audeo ſylveſtres coràm tentare cicutas ,
Et ſtudiis ſervire tuis , avidoque ſciendi
Ferre tibi documenta , truces non Martis in uſus ;
Jam quibus heu nimiùm viſus gaudere , rigentes
Ære viros ſumptis ardes ſpectare ſub armis ,
Terribileſque tubas ſtrictos audire per enſes.

(a) *In prædio ruſtico.*
(b) *Septem dumtaxat annos natus erat Rex , cùm hæc ſcriberet Poëta.*

Has ubi tempus erit, patrio (a) cui munere Reges
Informare datum eſt, notas te finget ad artes.
Interea quò prona tibi LODOICE voluntas,
Accipe amicitiæ leges, authoribus illis,
Quos inter primò mundi naſcentis in ortu
Floruit inprimis; nec dedignare docentum
Nomina Paſtorum, mox auditurus & ipſam
Progeniem Regum quondam paviſſe paternos
Rure greges, ſylviſque animum coluiſſe magiſtris.
Ex aula nunc ceſſit amor ſocialis; & æquâ
Lance Deus ſua dona viros partitus in omnes,
Regibus imperium, nobis ſervavit amicos.
Privatæ quod ſortis erat tibi contigit uni,
Rex, ut amicitiam cum Majeſtate verenda
Concilies: partes etenim nunc dulcis amici,
Nunc regnantis agis: coràm gravitate retentâ,
Principe digna facis loquериſque puellus; ineſtque
In tenero juvenile nihil niſi gratia vultu.
Atque ubi te Regem populo rebuſque dediſti,
Te tibi, te blandis iterum permittis amicis;
Depoſitoque domi faſtu, vulgique profani
Liber, amicitiæ totas effundis habenas.
Tædia colloquiis nunc dulcibus aulica ſolvis:
Utiliora tibi fidæ commercia linguæ

(a) *D. de Villeroy, cujus Pater Cuſtos rectorque fuerat Ludovici Magni.*

Experiere brevi, rebus maturus agendis,
Cùm tua depones regnique negotia tutis
Auribus; inque ſinu noti requieſcet amici
Majeſtas, onus ipſa ſibi, niſi ſæpius alto
Deſcendat ſolio; & ſceptri gravitate relictâ,
Rex homini cedat, ſocioque fruatur amore.

Quare age amicitiam, quam deterrebat ab aula
Agmen adulantum, regali admitte volentem
Pectoris hoſpitio: ſed amicum delige, qualem
Regibus eſſe decet; qui ſpernere fortis honores,
Dans tibi conſilium, non conſulat antè favorem
Fortunaſque ſuas; tibi qui, licèt omnia poſſis,
Cuncta licere neget; quod convenit atque perennem
Pertinet ad famam, non quod placet, author agendi.

Sed quid præcipio quod non monſtraverit antè,
Fixerit & teneró jamdudum pectore, primos
Quæ tibi (a) Mater erat morumque magiſtra ſub
annos:
Et tibi cur verſu, LODOIX, effingere tento
Quem præſentem oculis ſpectas in (b) Præſule, ſacras
Imperii qui te leges & Apollinis artem
Erudit; & magnæ feliciter inſita menti
Edocet in properos adoleſcere ſemina fructus.

Ille tuæ vir laudis amans, nec menſus honorem

(a) *Illuſtriſſima Domina de Ventadour.*
(b) *D. de Fleury Regis Præceptor.*

Principis effuſo populorum ſanguine, pacis
Author erit ; tecumque feret cùm pondera rerum ,
Commoda ſola ſequens gentis, ſuadebit inire
Monſtratas à Patre vias, populique parentem
Quàm Dominum magis eſſe: Duces bellique miniſtros
Prælia commendant, amor & Pax aurea Reges.

DE AMICITIA.

ECLOGA PRIMA.

Amicitiæ natura & ortus, ejuſdem commendatio & character variis amicorum factis expreſſus.

DAMETAS. MOPSUS.

D. QUò properas ? quò Mopſe gregem non ſponte ſequentem
Ducis agens ? loca mene fugis ? te murmure rivus,
Gramineâ te vallis humo, te mollibus umbris
Invitant Salices: Ovibus da Mopſe, roganti
Quod mihi malueram tribuiſſes; teque volentem
Detineat, quæ læta tuum pecus herba moratur.
M. Vicino ſub colle manet me Daphnis: iturum
Promiſi; caro reddam promiſſa ſodali.
D. Nuſquam poſſe tuo ſine Daphnide vivere! tantâ
Dic ab amicitia quid amor maleſanus Amyntæ
Diſcrepat: indomitos cur arguis illius ignes,
Indulgeſque tuis; teneram ſi Phyllida quantùm
Alter amat, tanto Daphnis teneatis amore,

M. Ridiculum memoras hominem, qui ſixit in una
Virgine, quos oculos pecori, quos debet amicis;
Qui macer & pallens, & ſemper inania mente
Vota fovens: abſens à Phyllide, triſtibus æger
Immoritur curis, intabeſcitque videndo;
Seque ſuo demens & Phyllida torquet amore.

Non ita Daphnin amo, meus ut me perdat & ipſum
Stultus amor: dulces equidem cum Daphnide ruri
Nec tamen ingratos condo ſine Daphnide ſoles.
Gaudeo ſi quis amet quem diligo, ſi quis eoſdem
Aut oculos habeat mecum, vel jure viciſſim
Uſus & ipſe ſuo, communem quærat amicum
Conciliare ſibi: at contrà rivalis Amyntas
Invidet, atque ſibi non temperat; oſcula blando
Si qua Cani dederit Phyllis vel mollibus Agnis.

Quod differt lux à tenebris, id amoris ab æſtu
Diſtat amicitiæ ſenſus: per faſque nefaſque
Impatiens fræni ruit ille; quietior audit
Illa verendarum vim legum & juris habenas.
Hunc animi cæcus rapit impetus: illa morarum
Conſiliique potens, ſocium ſibi deligit aptum.

Sunt in amore duces oculi fallaxque cupido;
Dux in amicitiis uſu præcognita virtus.
Ille voluptatum ſitiens ſe diligit unum:
Hæc oblita ſuî vix lætior emicat unquam,
Quàm cùm contigerit miſero prodeſſe ſodali.

Sollicitì res plena metûs, res plena tumultûs,

Uſquè novis fervet curis amor anxius : idem
Divitias, ipſamque brevi poſt cætera mentem
Eripit : omnis enim furit aut inſanit amator ;
Dum placidos agitat ſoles, & amicus amici
Conſiliis ſapit atque ſuis ; geminâque tuetur
Res ope, nec, ſocio moderante, flagrantior irâ
Vel deſiderio cæcâve cupidine fertur.

Mobilis eſt, capitiſque nives rugaſque peroſus,
Informes ſenio vultus amor alite pennâ
Tranſvolat, atque genis alibi juvenilibus hæret.
Firmat amicitiam contrà, qui major ab annis
Ingenii eſt, non oris, honos ; nec & ipſa ſeneſcens
Corde fluit, vultu cùm gratia fluxit amico.
Nam veluti miro ſpectabilis igne Cometes
Prodigialè rubet ; ſed mox evanidus auras
In tenues abit ; haud longo ſic tempore durans
Ignibus ipſe ſuis abſumitur ardor amantum.
Aſt animis infixus ineſt, nec deficit unquam
Splendor amicitiæ ; tacito labentia motu
Non defecturis fulgent ut ſidera flammis.
D Inter amicitiam quid diſtat & inter amorem
Novimus : hic ſolâ trahitur dulcedine amandi ;
At rebus ſtudet illa ſuis : quæruntur amici
Alternam vel propter opem, vel propter honores,
Sic Hederæ muros, ſic ambitioſior altam
Vitis amore ſuî ſtringens amplectitur Ulmum,
Quâ ſine repit humi, nec mites educat uvas.

M. Alter amicitiæ fons eſt & dignior ortus :
Nam duce naturâ, non utilitate, viciſſim
Ut Natos & amant Patres & amantur ab illis ;
Sic animos Natura potens inclinat ad unum
Conſimilem noſtrî ; nec ſpe mercedis avarâ
Diligimus : natum ſequitur ſed fructus amorem.

Quæ vel in hoſte placet, probitas conjungit amicos :
Hinc & amicitiis & vitæ terminus idem
Eſſe ſolet ; dulci virtus quòd amabilis uſu
Nutriat, humanis quos mentibus indidit ignes.
D. Hæc ubi ſunt vinclis ita firmis juncta duorum
Pectora, quæ nullum diſſolvat tempus, opumve
Certamen, vel quæ capiunt nos tædia rerum ?
Vix geminos inter durat concordia fratres :
Ipſe ſibi vix conſtat homo ; mutatur in horas,
Et quod manè cupit nil veſpere curat, ad omnem,
Mobilior nemorum foliis, verſatilis auram.
Non humana rogas, mentem qui pluribus unam
Eſſe velis : fidone putas hærebit amico
Qui ſecum diſcordat, & à ſe diffidet ipſo.

Fac habeas qualem vix eſt reperire ſodalem :
Continuò vitam nova cura, novique timores
Sollicitant : atqui ſua cuique negotia, caſus
Cuique ſuos fert vita ; nec eſt cur implicet alter
Alterius ſeſe rebus, diſcrimina fatis
Adjiciens aliena ſuis : ſibi vivere ſoli
Præſtat, amicitiæ tanto quàm præmia noſſe.

M. Ergone amicitiam mortalibus eripis? ipſum
Tolle priùs mundo ſolem, vel ſecula terris
Aurea, quæ rectum coluere fidemque, redona.
Tunc omnes fas, credo, fuit diſcrimine nullo
Conſiliis adhibere viros, nudoque profari
Pectore: cùm neque fraus, nec amor ſceleratus habendi
Polluerent mortale genus: nunc fronte ſerenâ
Cùm tacitæ lateant iræ; dubiiſque tegatur
Dulcis amicitiæ ſignis mens certa nocendi;
Quid facies, ſi non habeas cui, liber ab omni
Suſpicione, graves auſis depromere curas;
Ut tecum ſic cuncta loqui, fidoque viciſſim
Solvere colloquio mortalis tædia vitæ.

Non ſecus ac juncta requieſcens Vitis in Ulmo
Floret, & arboreas uvis pendentibus, hoſpes
Non ingrata, comas exornat; Amicus amicam
Sic reperit ſic præſtat opem: junguntur & ambo
Securum fatis agitant felicibus ævum.
Cætera tempus habent; nec ſola nec uſquè beatos
Efficiunt homines: brevis eſt fallaxque voluptas;
Partus honor vileſcit; opum veſana cupido
Sollicitat; triſtes ſubeunt poſt gaudia luctus;
Nec placitura diu rerum per læta vagamur.
Continuò ſubeunt faſtidia: trudit amorem
Alter amor; nec curat iners & avara ſenectus
Quæ pueros capiunt juveneſque: fidelis amicus

Tempus in omne manet, jucundus & utilis idem.
Ille juventutem recreat magis: ille ſenectam
Deliciis orbam reliquis hoc ſuſtinet uno
Præſidio; longus nec tædia parturit uſus:
Nam quanquàm ſolidos unà conſumere gaudent
Alterno ſermone dies; non pœnitet unquam
Haud potuiſſe ſuis præſtare ſilentia rebus;
Nec ſiccis hæret vox faucibus: auris amicæ
Tanta fides, tanta eſt linguæ facundia tutæ.

Non ſtudiis, uno ſed fortunatiùs uſu
Quæ ſit amicitiæ vis atque potentia norunt.
Officii leges amor ingenioſus ad omnes
Erudit, & vires ad fortia quæque miniſtrat.

Rebus amicus adeſt lætis; cumulatque ſodalis
Gaudia, dum fruitur; miſero velocior idem
Advolat; & fractis adhibens ſolatia rebus,
Cum ſocio vires animi communicat ipſas.
Vel ſi vulnus opem renuit; lugentis amici
Detergit lacrymas flens ipſe, dolenſque dolorem
Illius imminuit: neque enim fomenta malorum
Utiliora pio fletu. Comes actus acerbis
Caſibus, in tanto ſocii lugentis amore,
Vix proprii meminit luctûs; finemque dolendi
Imperat ipſe ſibi, conſolaturus amicum.

Rara quidem quam laudo fides, prudenſque Sodalis
Simplicitas, ſua qui profert, commiſſa viciſſim

Nec ſecreta foras eliminat: atque paratus
Reſpondere vicem, ſibi nil deſperat habendum.
Illius hinc pretium eſt quòd non quærentibus ultro
Det facilis ſeſe: quia rarior æquore gemma
Eruitur, multo venit pretioſior auro.

Sunt tamen infragili quæ pectora fœdere dulcis
Junxit amor: priſcis annalibus eruta trito
Nomina ne referam ſermone, Melippus avitis
Exul agris ſocio gaudet, qui maluit ædes
Et natale ſolum ſegeteſque relinquere cultas,
Hinc abſente procul quàm vivere ſolus amico.

Dametæ viden ut rebus ſuccurrat in arctis
Alpheſibœus! eum nihil amiſiſſe ſodali
Soſpite credideris, hunc contrà apponere lucro,
Quidquid in auxilium veteris largitur amici.

Illius hanc memorant vocem, cùm ducere vellet
Uxorem: peteretque Socer, quæ copia rerum,
Quid pecoris foret: unanimis comes inquit; opum vis
Hæc mea. Deſponſam dedit hoc Pater omine Natam
Nec mens læva viro, fidum qui pluris amicum
Fecerit, argenti magnum quàm pondus & auri.

An fuit in terris Coridone beatior alter,
Qui longam ſine diſſidio cum Myrtile vitam
Egit, & illius tantùm confidit amori;
Proximus ut morti, ſupereſt cariſſima, dixit,
Sola mihi genitrix; inopi tu filius eſto:
Hanc ale, & hoc ſocii munus morientis habeto.

Accipit hanc ; & vix hodie dignoſcere poſſis
Quæ ſit cara magis , vel quam Natura parentem ,
Vel quam fecit amor. Scis quàm memorabile quondam
Extiterit fidos inter certamen amicos.
Admonitus Myrtil per ſomnia falſa , ſodalis
Invaſiſſe domum fures , atque omnia ferro
Vaſtari , thalamo rapit impiger arma relicto ;
Terque quaterque manu Coridonis ad oſtia pulſat.
Abrupto Coridon ſomno , cognoſcit amicum ;
Quem promptis ratus auxiliis hòc noctis egere ,
Proſilit ; ac ſecum quod habebat & æris & auri
Corripiens , ſocio gaudens nil tale petenti
Expedit , & donis veniam levioribus orat.
Sed vitæ quoque , fidus amor , non unius auri
Prodigus eſt : teſtis Damon , in flumina ſaltu
Qui ſe præcipiti dedit , ut ſervaret amicum ,
Quem violens rapiebat aquis torrentibus amnis.
Amplexus inter miſeros obiere ; ſimulque ,
Quo periere ſitu , junctis per amica lacertis
Oſcula , nunc etiam tumulo conjuncta ſub uno
Membra jacent : ne quos vinclis ſociaverat arctis
Vita fideſque tenax , mors dividat ipſa ſodales.
Majus amicitiæ ſpecimen Calliſtoris audi.
Horribiles judex pœnas mortemque minatur ,
Ni commiſſa ſuæ fidei ſecreta recludat ,
Indicioque gravi ſceleris condemnet amicum.

Nullis ille minis perterritus, ignibus (inquit)
Ure meos ferrove ſeca crudeliter artus :
Arbitrii mea vita tui eſt, non lingua; tenacem
Propoſiti tormenta fidem ne barbara vincant,
En, ait, ut caveo: media inter talia, linguam
Dentibus abſciſſam procul expuit ore cruento.

Quin & fœmineo conſtans in corde remanſit
Nuper amor ſtabiliſque fides. Amaryllis ad amplas
Cum veniſſet opes patruo moriente relictas;
Nobilibus quæſita procis, deſpexit amicos
Quos fortuna recens advexerat, atque Menalcam
Illius ante fores auſum vix ſtare, querelis
Dulcibus inceſſens; quid me fugis, inquit? amabam
Nuper inops inopem; jam nunc te dives egenum
Plùs amo, quò poſſum dare plura, tibique marito
Deſpondere parem fidei cum pignore dotem.
Felix ſponſa viro, felix vir conjuge, lætos
Traducunt in amore pari concorditer annos.
D. Gliſcit amicitiæ qui nomine tectus, amorem
Mopſe merum laudas: alios vix concipit ignes
Fœmineum pectus: ſocialia fœdera rumpunt
Ingenii levitas, & garrula lingua, ſuiſque
Fida, ſed alterius maletuta ſilentia rebus.

Dura manent quas vincla tori ſubeunda mariti,
Felices ſi fortè negant captiva puellæ
Huic etiam ſe poſſe jugo ſubmittere colla.
M. Quod loqueris non triſte jugum eſt, ope cujus egenas

Res inter, nullo trahitur prope vita labore.
Officium, fateor, grave ſæpius atque moleſtum
Eſt in amicitia: mortalibus optima quæque
Divendunt magno Superi; fugiendaque virtus
Eſt tibi, ſi curam fugias operumque labores:
Arduum enim eſt virtutis iter plenumque pericli;
Nec ſine vi contingit honos & nobile nomen.
Sed mihi crede puer, ſuccurrere poſſe ſodali,
Nec dubium in dubiis oſtendere rebus amorem,
Plena voluptatis res eſt; & nulla volentem,
Si quid amore facis, te cura laborque gravabunt.
Quin etiam ſcabrâ veluti rubigine nigrum
Cotis ab attritu diſcit ſplendeſcere ferrum;
Haud aliter caſus amor excitus inter acerbos
Emicat, & magnis etiam ſuccurrit in auſis.
Mollior eſt Agno Lycidas; ſed & ille, ſalutis
Oblitus propriæ, nuper defenſor amici,
Nudatos Leo terribilis, prorupit in enſes.
D. Alma parens homines ſylvis eduxit ab altis,
In commune jubens & nos & noſtra per omnes
Partiri Natura viros; in publica peccat
Commoda, qui totum ſocio ſe devovet uni.
M. Quid Natura velit, ſatis indicat, ubere fletu
Ora rigans, lætoque movens præcordia ſenſu;
Cùm quid fama refert & amicè & fortiter auſum.
Exerit & pecudes inter mutoſque Natantes
Vim Natura ſuam: noſtras imitatur in undis

Piſcis amicitias: cantu profitentur amorem
Cælivagæ Volucres: & ſylvis Cervus in altis
Fidus agit longam Cervo cum compare vitam.
Imbellem gravior ſenio defendit amicum;
Inque vicem, ſi fortè metum fecere Moloſſi,
Junior ancipitis ſubiens diſcrimina curſûs
Proſilit; & pedibus fidens, venantibus offert
Se Canibus; ſocio gaviſus ſoſpite vitam
Pro meritis & amicitiæ pro laude paciſci.
Dulcia quæ mutis vitæ ſolatia paſſim
Dat Natura Feris, homini non invidet uni;
Cujus amicitiæ tantùm dulcedinis addunt
Colloquiique vices, & mens interprete linguâ
In pectus fidi comitis demiſſa per aures.
Urbanos muris homines Natura ſub iiſdem
Cogit, ut ex multis ſibi quilibet eligat unum;
Quem ſic præ reliquis amet, ut tamen unius ergo
Omnibus haud deſit; paucis ſed amicus, in omnes
Sit bonus, & facilis; nec quas præſcripſit amando
Ipſe ſibi leges, juri præponat avito;
Quo patriæ ſervire, ſuos & amare Parentes
Cogitur, & primo dignari Numina cultu.
Hac ego lege meo dulcem cum Daphnide vitam
Exigo: ſed longas fando producimus horas:
Nec patiens feret ille moras, quas nectis eunti.

ECLOGA SECUNDA.

Amicitiæ pares conciliandæ.

MOPSUS, ALEXIS, LYCIDAS.

M. UNde pedes? Ex urbe? teres bonus uſque Potentum
Limina; nec pecoris tanget te cura relicti.
A. Cura tenet ſua quemque: placent tibi ſordida rura,
Oppida clara mihi; nemorum te gratia, meque
Tangit amicitiæ non impermiſſa voluptas.
M. Sunt & amicitiæ dulces, quas rure fovemus
Cum paribus, quibus & fruitur grex ipſe, ſuorum
Fœdere cuſtodum, & junctis recreatus avenis.
A. Qui ſemel eſt urbes magnumque expertus amicum;
Hunc neque rura movent, nec oves, oviumque magiſtri.
M. Dura Boves conjunge pares ad aratra; paremque
Junge tibi, ne fortè jugo lædare, ſodalem.
Daphnin ego ne Rege quidem cum divite mutem.
A. Daphnide contentus vivat, cui Rege carendum eſt,
Cui neque noſſe meum fas eſt & amare Cleantum.
M. Oppoſiturus adeſt Lycidas: hoc judice mecum

Si certare voles, tute ipſe fatebere Daphnin,
Quanvis pauper opum eſt, diti præſtare Cleanto.
Me procerum quondam Melibæus & urbis amator,
Edocuit miſerâ colitis quàm lege Potentes.
A. Non fugio Lycidæ arbitrium: niſi vicero cantu,
At certè causâ vincam; vel turpis egeſtas
Vincit opes; luteiſque caſis palatia cedunt.
L. Cantantes audire placet: locus ipſe, dieſque
Blandior invitant cantus; hîc fontis ad oram
Graminea Salices inter ſedeamus in herba;
Dumque ſuos celebrant per frondea tecta Volucres;
Alternis veſtros & vos dicetis amores.
A. Felix illa dies, quâ me procul urbe canentem
Audiit, & ſecum deduxit rure Cleantus.
M. Fortunata magis, quæ me tibi fecit amicum
Daphni dies, ruriſque novos injecit amores.
A. Ex illo revocat me ſæpe Cleantus in urbem,
Meque leves inflare jubet ſe teſte cicutas.
M. Obſcuro nos rure dies agitamus; & alter
Alterius ſermone magis quàm carmine gaudet.
A. Stant rigidi vigiles ad limina prima Cleanti;
Nec vili tamen hinc paſtor cum plebe repellor.
Ille ſalutantum refluâ me ſevocat undâ,
Et timidum Proceres inter compellat amicè.
M. Daphnidis ad portam cuſtos Canis aſſidet unus
Qui mihi blanditias, & quâ fas voce, ſalutem
Dicit; & anteferens greſſus, ad Daphnida ducit:

Soli turba ſumus ; capiunt nec tædia ſolos.
A. Ut juvat egreſſum ſylvis auguſta ſuperbæ
Tecta domûs intrare, toros inhiare nitentes,
Marmoreis oculos hinc illinc paſcere menſis,
Et picturatos pedibus calcare tapetas.
M. Daphnidis agreſti domus eſt lætiſſima cultu,
Non ſtrepitu confuſa vago, non hoſpite noto
Ignotoque frequens : invitant dulcia paſſim
Poma manus, vacuo neque paſcunt lumina ventre.
A. Ante ſuam mihi ſi qua diem maturuit uva;
Molliculus partu ſi præcoce naſcitur Agnus;
Proh quàm dulce meo dare munera parva Cleanto,
Qui mihi blanditias & mollia verba redonat.
M. Omnia, Daphni, mihi tecum communia : Capras
Ipſe tuas, ſi fortè mihi lac præcipit æſtus,
Mulgeo; tuque meis mulctras in ovilibus imples;
Ubera ſi quando referant tibi ſicca Capellæ.
A. Pauper ego pecoris cuſtos rogor uſque Clientum
Submiſſas deferre preces, & jura tueri;
Primoreſque viros ad agreſtia limina cogit
Et dulcis favor, & cultura potentis amici.
M. Nil præſtare poteſt niſi verum Daphnis amorem,
Invideat quem nemo mihi ; nec ad oſtia triſtis
Uſquè rogator adeſt, longo ſermone fatigans,
Nec niſi ſinceris teritur mihi limen amicis.
A. Nulla pares inter concordia firma ſodales :
Solvit amicitias, aut æmulus ardor habendi,

Aut honor, aut ſaties, vitæque frequentior uſus.
M. Alter inæquales inter dominabitur, alter
Servus erit: ſi dives amat, ſe neſcit amari:
Unanimi nec ſtant amor & reverentia corde.
A. Nobiſcum Proceres fido junguntur amore,
Si mores novere probos ſimileſque ſuorum.
Diligitur decus ingenii non ſplendor avorum:
Spectaturque magis probitas quàm cenſus amici.
M. Luminis orba, ſinu quos eſt amplexa benigno,
Efficit & vulgò cæcos Fortuna Potentes.
Vilis adulantum grex circumſiſtit; amico
Nec locus eſt, ubi nulla ſacri reverentia veri.
A. Gignit amicitiam virtus, quam clara Potentum
A patribus ſoboles alto cum ſanguine ducit:
Nam neque progenerat Cervos Leo fortis: Avenas
Nec pariunt ſteriles quæ mittimus Hordea ſulcis.
M. Omnia degenerant; patribuſque ſimillima proles
Rarior eſt homines inter: quæ ſola ſuperſunt
Stemmata, nobilium ſanguis colit una; ſibique
Vilis amor ſine re, vilis ſine nomine virtus.
A. Dulce viatori ſe per maleſida ferenti
Æquora, vicino cognoſcere littore tutum
Quod petat hoſpitium; pelago ſi fortè ſonanti
Tempeſtas agitat fragilem violenta phaſellum.
M. Speranti placidos portus quàm triſte, procellas
Inter & adverſos fluctus, ac nubila cæli
Tempora, deferri timidis ad ſaxea votis

Pectora; queis animus, queis ſpes infringitur omnis.
A. Ante negabit Ovis ſitientibus ubera Natis;
Antè ſuos torrens curſus remorabitur amnis;
Mutatâ quàm mente fidem ſacramque Cleantus
Fallat amicitiam, ſua vel promiſſa retractet.
M. Carus erit, Procerum ſtudiis qui ſerviet; illis
Nil ſacrum niſi cura rei famæque: Clientes
Promiſſis onerant largis; ſed ut arbor in hortis
Multa ſuis, ſterilem præbent ſine fructibus umbram.
A. Vulgus amicitias donis metitur; at unum
Comis & ingenuus vir amore repoſcit amorem.
M. Officiis fit notus amor; nec habentur amici
Propter dona, placent ſed munera propter amicos.
A. Utilitas ab amore meo ſat magna, Cleanto
Dum placeam, neque me fuerit ſibi carior alter.
M. Mordaci patet invidiæ, quicumque ſuperbas
Captat amicitias, fruiturque favore Potentum.
A. Si pulcher non tangit honos, & gloria magni
Nominis; en cura vivam quàm liber ab omni;
Quantaque felices condam per gaudia ſoles.
M. Nomina magna nocent: per iniquos vile labores
Servitium tandem, turpiſque paratur egeſtas:
Vivimus & placidò vitam nos rure beatam.
A. Nubila ad arbitrium facit atque ſerena Cleantus
Tempora: per populos latè regit omnia dictis,
Illius è nutu pendent cum plebe Potentes.
M. Unus quo cæli faciem deformat, eodem

Jupiter & noſtros contriſtat frigore vultus ;
Nec terret vis ulla viros nullius egentes.
A. Manè ſalutantum quàm me juvat unda Clientum,
Nunc humili depreſſa metu, nunc rurſus in altas
Spes avidis ſurgens animis, & ſidera tangens.
M. Æquales inter quàm fortunatiùs iſtic
Vivitur, unde metus procul omnis & ambitus abſunt:
Mens ubi ſollicitis non fluctuat anxia curis.
A. Quid memorem quanto convivia lauta paratu
Concelebrant ; quales oculis argentea luxus
Explicat ex omni ſtruitur quæ menſa macello.
M. Arte cibis nullâ poſitis epulamur amici
Dulciùs ad fontes: exornat libera menſam
Simplicitas, conditque fames ſolertior eſcas.
A. Poſt epulas largum ſi quando Cleantus ad ignem
Convivas blando recreat ſermone: loquenti
Plauditur ; & pendent omnes unius ab ore.
M. Nos quoque propter aquam patulæve ſub Ilicis
umbra
Colloquimur: fandi datur omnibus æqua poteſtas;
Nec tegitur fictis animi ſententia dictis.
A. Luditur interdum, nec præmia parva ſequuntur
Victores: poſito nam luditur æris acervo.
M. Ludimus: at noſtrum riſus & gaudia ludum,
Non furor amiſſis opibus, luctuſque ſequuntur.
A. Jam ſi ferre pedes placet extra tecta domorum
Sylvula nutritur contermina, frigus & umbram

Sufficiens æſtate; ſubeſt & pinguior hortus,
Ruris opes mediâ qui cultus in urbe miniſtrat.
M. Agreſtis ſi vana placent imitamina vitæ;
Ipſo rure frui quàm dulciùs! alta vagari
Per nemora & valles; & aquarum murmure blandum
Fontis ad umbroſi caput invitare ſoporem.
A. Multa docet me pace ſuper belloque Cleantus;
Omnia quæ memori condens ſub pectore, vobis
Urbe redux avidis narro quæ bella gerantur,
Quique recèns domito ſit partus ab hoſte triumphus.
M. Daphnida quæ ſpectant, & quæ cognoſcere malim,
Audio: nec Regum ſed noſtra negotia blandis
Præſtat colloquiis agitare, nec altera noſſe
Quàm rabidis quæ bella Lupis inimica parantur,
A. Rura Lupoſque crepa; ſylvas & ovilia tecum
Semper habe; rerum dominos urbeſque ſuperbas
Deſpice; amicitiæ Procerum nec præmia noris.
M. Amiſſâ vanum tu libertate favorem
Perge ſequi; durum domini nec ferre recuſa
Servitium, ut fumos captes, ſpe luſus, inanes.
A. Men captare leves intra palatia fumos!
Quem, ſi pollicitis hominum fas credere quemquam,
Dona manent, tibi quæ meritis majora fatebor.
M. Hæccine te capiunt ſine re promiſſa Potentum;
Nec pudor eſt uſu nondum didiciſſe magiſtro
Quò recidat favor, & blandis ſpes fota loquelis.
A. Fare age dic, Lycida, potior quis amicus? opumne
Dives

Dives & antiquâ qui gentis origine clarus,
Sit decori; vel qui nullis majoribus ortus,
Obſcuram tecum ducat ſine nomine vitam.
M. Elige quem vitæ ſocium fidumque ſodalem;
Malueris; vel quem ſupplex vereare colaſque,
Vel quem liber ames; & qui te diligat unum;
Convictuque juvet facili, curaſque reſolvat.
L. Hanc ego non auſim litem componere: nullas
Audit amor leges; duce nec ratione volentes,
Sed tacitâ impulſi dulcedine mentis, amamus,
Et ſequimur quod cuique magis placet: ille Potentum
Quærat amicitias, qui præferet utile dulci.
Tranquillam quicumque poteſt ſine murmure vitam
Ducere; vel ſecum, vel fidos inter amicos,
Conditione pares, habitet; vilique favorem
Non emat obſequio; ſed amet qui diligat, altâ
Non qui gente tumens, vix ſe patiatur amari.

ECLOGA TERTIA.

Amicorum delectus.

TYRSIS. MOPSUS.

T. GRatulor urbani quòd Alexis nuper inanem
Contuderis faſtum: rus ille gregemque ſuorum
Oderit; & Procerum vanos affectet amores.

Nos quâ lege pares inter vivamus amicos,
Tu ſenio gravis, & longo jam doctior uſu,
Finge tuâ nos, Mopſe, manu: pronumque fideli
Pectus amicitiæ, ſi quid vacat, inſtrue dictis.
M. Quæ rogitas uno complectar ut omnia verbo,
Elige; præcipitis cæco nec ab impete cordis
Raptus ama: cognoſce priùs quàm fœdera jungas:
Nec pigeat mores longum tentare per uſum.
Quas ſerimus tardè creſcunt, ſed ſecula durant
Vivaces Oleæ: velox amor, arboris inſtar,
Emoritur, niſi radices emiſerit altas;
Antè leves præceps quàm ſe diffundat in auras.
Neſcio quid dulces interdum invitat amores:
Hos animi rapidos motus nec protinus audi,
Nec contemne tamen: celerem per prona viarum
Sed velut infrænas currum; naſcentis amoris,
Judicium ſi fortè tuum præcurret, habenas
Sic preme; & indiciis, quantùm fas, collige certis,
Qui placet, an vita tibi ſit placiturus in omni.
Quos emimus Tauros bis terque probamus arando:
Nec pudet ignotos admittere ſæpe ſodales,
Venales tamen ut merces in luce maligna,
Sic & amicitiæ fuco fallace niteſcunt;
Et qui diligimus primùm, dein fœdere pacto
Excutimus ſocii mores: inimica querelis
Aſtra fatigamus ſeris, cùm tempus apertam
Protulit in lucem quod præcognoſcere ſanæ

Mentis erat : ficti nam diſſimulator amoris
Nemo ſatis, qui vel dictis factisve doloſas,
Oblitus perſæpe ſuî, non detegat artes.
T. Hoc ubi : non homines non queſtibus aſtra laceſſo:
Vincla ſed auſpiciis rumpens male nexa ſiniſtris,
Odi perjurum deſertoremque relinquo ;
Nec ſecus ac tritos uſu mutamus amictus,
Sic & amicitiæ veteris faſtidia pono,
Deliciaſque novi ſequor invitatus : eodem
Ordine non conjux nobis & amicus habentur,
Quos lex ſacra jugo pariter conjungat aheno.
M. Sit ſuſpecta tibi novitas in amore ; ſodalem
Nec veterem poſtpone novo, qui cognita præfers
Vina vetuſta novis ; qui, ſi via longa manebit,
Quadrupedem placidum mavis notumque, comanti
Quàm qui luxurians cervice, feroxque juventâ
Altiùs ingreditur ; ſed te rudis atque laborum
Impatiens, oriſque tenax, vel laſſat euntem,
Vel ſecum rapit in præceps : rigidiſque lupatis
Indocilis ſervire, vehit quò tendere nolis.

A teneris ſi cui ſocio conſuevimus annis,
Dulciùs hoc fruimur, fuerit modò fidus : amamus
Namque magis quidquid primo dileximus ævo.
Paſcua Dametas viden hæc ut opima peroſus,
Montibus & ſylvis gaudet, ſylveſtribus ortus
Nutrituſque jugis : Corilas prædives, & alto
Nunc in honore, gregem qui paverat antè, ſodales

En ut amat veteres, nemorumque virentibus umbris
Afficitur: tantùm vita valet uſus in omni.

Si comitem fortuna novum dabit; inſpice poſſit
An fieri vetus; & parvis in rebus amorem
Illius ac tacitos animi priùs erue ſenſus,
Quàm læſura dehinc male cautus vincula nectas;
Serpentemque ſinu foveas, qui ſibila fundens
Terreat, & morſu vomat immedicabile virus.

Seriùs inſpicitur medio ratis æquore, fluctus
Cùm biberit ſalſos, laterum compage ſolutâ:
Exploranda priùs fuerat, ſi ferre procellas
Poſſet, & incolumis portus adnare petitos.
T. Non labor eſt oculo navem luſtrare ſagaci:
Noſtra ſed occultos habeant cùm corda receſſus,
Mentis ab humanæ latebris educere verum
Difficile eſt: neque enim blando bene creditur ori;
Fida nec interpres ſenſûs eſt lingua latentis.
M. Hoc humilis fortuna dedit, ſi commoda vitæ
Plura neget, quòd nec ſpes, nec reverentia mores
Diſſimulare jubet: facilis delectus amici,
Cùm timor omnis abeſt, & opum veſana cupido:
Dives enim vix noſſe poteſt, an amicior ipſi,
Illius aut opibus fuerit, quicumque ſecundas
Res hominum ſequitur: præſtat fortuna miniſtros
Atque voluptatum ſocios; eademque recedens,
Quò tranſmutat opes, illuc tranſmutat amicos.
Sic cùm mella vehis, muſcarum exercitus ingens

Ponè ſubit: pede ſed lapſus ſi fictile ſinum
Frangis; in effuſos avidiſſima turba liquores
Involat, atque tuo fruitur lætiſſima damno;
Et tu ſolus abis: neque enim te murmure blando,
Mella ſequebantur cupidæ ſed odora Volucres.

Quâ flores ætate, puer, ne crede fidelem
Conciliaſſe tibi ſocium, quem mutuus ardor,
Non ratio, nec adulta fides, nec cognita virtus
Addiderint: amor in primo ferventior ævo
Profilit; at tenues mox evaneſcit in auras.
Tunc fere maturâ longo pòſt tempore fructus
Quos ætate metas; prima nec meſſis in herba
Spes faciat certas: rebus mutantur & annis
Ingenia & mores: occultaque ſemina rixæ
Sæpe jacit ſocios inter ſitis acrior auri.

Una facit ſtabilem probitas quæ gignit amorem:
Hanc ſequere; & cujus poſſis dein moribus uti,
Quære tibi vitæ comitem: te namque, ſodalis
Qualis erit, talem facient commercia vitæ.
Aut reperit ſimiles aut efficit uſus amicos;
Cereaque in vitium flecti, virtutis in altum
Vix iter aſſurgit rebus mens prona caducis.

Sed non una fides, non virtus unica dulces
Junget amicitias; niſi mutuus ardor amantum
Alliciat tacitâ captas dulcedine mentes.

Qualis enim facili rivus declivia lapſu

Qui per rura fluit, ſine vi, ſine fine perennes
Volvit aquas; morem contra ſed in ardua nitens,
Hæret & arenti ſiccus mox deficit alveo:
Non aliter cùm fertur amor quò prona voluntas
Ingeniumque trahunt; it lenior obiice nullo,
Nec mutare ſuos ſolet aut requieſcere curſus.

O! tibi ſi qualem mens libera fingit, amicum
Fata darent, cui cum blanda dulcedine morum,
Cum vera pietate, ſagax prudentia rerum
Obtigerit; ſanis qui ſeque ſuumque ſodalem
Conſiliis regat, atque regi patiatur; & iram
Non magis ipſe ſuam quàm conſiliantis amorem
Audiat! amborum quàm fortunata, pericli
Quàm ſecura fluet, quàm dulcis vita ſecundis
In rebus, caſus quàm mitior inter acerbos.

Cùm ſociis eadem natura duobus, idemque
Ingenium eſt; amor unanimis ſuaviſſima nectit
Vincula: ſæpe tamen comites diuturnior uſus
Utiliorque ſimul junget, ſi comprimat acrem
Lentior; inque vicem pigrum ſtimulaverit acer,
Lætior exhilaret triſtem, graviorque jocoſum
Contineat; ſtudiis ambo concordibus unam
Dum foveant variâ nati licet indole, mentem.
Cui promptâ cor bile tumet, ſi nactus amicum eſt
Iraſci facilem, novus additur ignis ad ignem;
Diraque permixtis ardent incendia flammis:
Et triſtem ſi triſtis amat, quis mutua ſolvet

Tædia, quis vitæ taciturna ſilentia rumpet.
Ne ſocium tibi junge levem, quem mobile pectus
Auferat, argenti cæco nec amore flagrantem,
Qui, quas cogit opes, ipſi ſibi deneget amens:
Indole nec ſævâ natum, nec rurſus inanis
Officii plenum minimis in rebus amicum
Elige, qui caſus idem non perſtet in omnes;
Nec vanis elatum animis faſtuque tumentem,
Qui ſua ſolus amet, miſerâque cupidine laudum
Æſtuet, & celſo faſtidiat omnia vultu.
Neſcit amare, pares qui neſcit habere ſuperbus.
Inprimis nequam fugito ſtolidumque: timendum
Ingenium eſt utriuſque; alter contemptor honeſti
Prodet amicitiam, ſua ſi res poſtulat; alter
Imprudens, etiamque volens prodeſſe, nocebit.
Ille feret moroſa ſuî faſtidia, juſtos
Ille metus: neuterque fidem præſtabit amico,
Commiſſumque teget; ſed ab unius excidet ore,
Rimoſas vulgi quod projicit alter in aures.
Quærat uterque ſuî ſimiles; & Mœvius excors
Cum Baviis nullo ducat certamine vitam.
Rurſus & ipſa malos ſcelerum commercia jungant;
Cumque Lupo veluti Lupus, & cum Tigride Tigris
In ſylvis ſocientur, opem det avarus avaro,
Fur furi; nec turba pium ſcelerata profanet
Nomen amicitiæ; nec mercenaria credat
Fœdera poſſe diu ſine relligione manere:

Non ſtat enim ſimulata fides, niſi mutua quantùm
Gratia conſtiterit: neque leges audit amoris,
Virtutis quicumque ſolet perrumpere fines.
T. Dic age num terris veluti non una colendis
Ruſticus arma domi proviſa reponit; amicus
Sit pariter vitæ non unus habendus in uſum.
M. Non patitur juncto plures incedere paſſu
Arctus amicitiæ trames; vitæque beatæ
Neſcit opes, qui non uno ſat dives amico eſt.
Qui numerat multos, nulli confidere debet;
Et qui ſolus erat, ſi mors inopina ſodalem
Abſtulerit, fidi non deerit pectoris hæres.

Læta per arva fluens, uno ſpectabilis alveo,
Si plures vagus in rivos deducitur amnis,
Indecores volvit ſine vi ſine nomine lymphas.
Diviſus ſic aret amor; nec ſuſtinet omnes
Officii partes. Variis affectibus anceps,
Unius haud poterit comitis miſereſcere caſum,
Alteriuſque ſimul ſortem gaudere beatam.
Præterea ſocii ſtudia in contraria plures
Ire ſolent; neque non rumpi communia poſſunt
Vincula, quæ lucri ſpes aut certamen honorum
In diverſa trahunt: quidquid conceditur uni
Alterius votis ſubduci ſæpe neceſſe eſt.

Æquales ætate duo jungantur amici,
Conditione pares; niſi ſanguine clarior alter,
Virtutis reverens quavis ſub veſte, ſuperbos

Poſthabeat meritis titulos, & moribus aurum;
Seque potens ad amicum humilem demittat; & illum
Hòc faciat pluris, nomen quò majus ab ipſo
(Nullis natus avis) primus ſibi condidit, ortum
Emendans virtute. Virûm ſic captus amore
Cæleſtes habitus majeſtatemque reliquit
Phæbus, & humana ſub imagine paſtor, eaſdem
Arva per & ſaltus nobiſcum exercuit artes.
Hæc ſunt, care puer, ſocii præcepta legendi,
Quæ ſequere; & dulcem fidumque benigna ſodalem
Si dederit Fortuna; tibi gratare bonorum
Optimum, & ad plures vitæ quod pertinet uſus.
T. Quem mihi non ratio, non experientia morum
Longa ſatis, ſed par ætas conjunxit, Amyntam
Gratulor inventum: me diligit ille; nec alter
Carior eſt illo nobis: cognoſcere tantùm
Te monſtrante velim, ſineret ſi tempus, amandi
Quæ præcepta ſequar: ſed jam proceſſit olympo
Veſper, Oveſque monet ſaturas decedere campis.

ECLOGA QUARTA.

In qua fictis exemplis recenſentur peſtes quibus interire ſolent amicitiæ.

MOPSUS, TYRSIS.

M. SOllicito quid triſte moves ſub pectore Thyrſi?
T. Hinc procul ex hominum cœtu nemoroſa Fe-
rarum

Mens agit antrà ſequi : me perfidus odit Amyntàs ,
Meque fugit , prece nec fletu placabilis ullo.
M. En puer, humanis quæ ſit fiducia rebus :
Æger inexpertum pectus dolor aſperat : uſu
Firmior obduces callum. Sol ecce ſereno
Ut nunc dulcè micat cælo ; nunc rurſus opacâ
Nube latet ; gelidoſque (calet dum fervidus) imbres
Colligit , & ſubito contriſtat frigore mundum.
Has hominum, ſi fert ætas, has Thyrſi dierum
Experiere vices. Cæli frontiſque ſerenæ
Nulla fides : aliena tuos ſi fortè dolores
Damna levant ; & ego primis deceptus ab annis
Edidici ſervare modum, nec credere verbis.

Ne loquar aut Fabium, ſibi qui vix nomine notos
Blandiùs appellat , cariſque adſcribit amicis ;
Vel non abſimilem factis & moribus Ibin ,
Cujus in ore frequens amor eſt, in pectore nullus ;
Quique ſuî ſolius amans , ſerviliter illos
Quos timet obſervat : quorum confidit amori ,
Negligit ; atque adeo ſua ſpectat commoda , tantùm
Illius ut poſſis in amore reponere, quantùm
Utilitatis habes : vitiorum hac indole natum
Cùm neque diligerem, nec amorem fingere poſſem ;
Lætor amicitiæ poſitâ quòd denique larvâ,
Quem non auſus eram dimittere, ſponte receſſit.

Si memini, primus quondam Melibæus amavit
Me puerum puer : Huic magno devinctus amore
Paſtorale pedum dederam, calamoſque, tenellam
Et Capream, multoſque ſuis cum matribus Agnos.
Non tantùm placuere illi mea munera, quantùm
Dulce mihi fuit uſquè novum dare pignus amoris.
Fors tulit ut peterem mihi quæ viliſſima rerum,
Vimina defuerant : negat ille petita ; benignis
Nec curat triſtem verbis mollire repulſam.

Ingratam volui penitus cognoſcere mentem ;
Triticeaſque virum fruges nummoſque popoſci.
Indueram vultus plenos mœroris, amorem
Accendi ſic poſſe ratus : præſenſit avarus :
Occurrenſque meis precibus, mentitur egenas
Jamdudum res eſſe domi : tum ferrea mecum
Secla gemens, quam durus opem negat, ipſe precari
Viſus, amicitiam mavult quàm perdere nummos.
Promiſſor tamen heu quoties vitamque ſuique
Quod non juris erat caput obtulit ; atque petenti
Abnuit exiguam cererem, quâ dives abundat.
O monitum ſapiens ! ut qui ſe credit amari
Nil roget, at dulci felix errore fruatur.

Poſt illum ſubiit ſpectabilis ore Menalcas.
Debueram quem noſſe priùs, maleſanus amavi :
Natus at ille malâ puer indole, quemque probroſis
Invadens dictis, odium crudele movebat :

Inque meam ſocii recidebant crimina famam.
Hunc Divis inimicum ipſis cùm ſæpe benigno
Nunc placidus ſermone, minis nunc aſper amaris
Aggrederer; malletque jocis & ſcommate vanos
Gloriolæ fumos captare, ſalubribus uti
Quàm monitis, pravoſque meis componere mores
Conſiliis; quem non potui ſanare, reliqui.
Tertius adveniens Dorilas, arctiſſima mecum
Fœdera junxit amans, ſed & hunc mercatus iniquo eſt
Munere Dametas: namque hoc jam vivitur ævo;
Hæc ſitis eſt aurique fames; venalis ut ipſa
Proſtet amicitia, & nummis habeantur amici,
Impia rurſus opum quos per commercia vendant.
Et mihi ſe Lycidas, pecoris cùm ditior eſſem,
Addiderat ſocium; noſtros ſed Hyrundo penates
Ut Brumâ pulſante fugit, reditura, benignos
Mollior aura dies ubi Vere tepente reducet:
Sic ad amicitias qui tranſvolat uſque potentes,
Terga dedit Lycidas, poſtquam conſumpſimus unà
Quidquid opum labor & pecoris cuſtodia ſolers
Extuderat mihi: fortunâ redeunte redibit
Et Lycidas, iterumque mihi ſe dicet amicum:
Debuit afflictis ſed dicere rebus: agendo
Suadet amor: nec verba movent, ſi facta repugnant.
Mordaci patet invidiæ quoque fidus amicus;
Exitioque virûm Furias emittit avernas

Re

Rex Erebi, quarum tetro ſuffuſa veneno
Sæpius unanimes inimicat lingua ſodales.
Inventor ſcelerum Dorilas hac peſte fidelem
Extinxit, quo me Coridon ardebat, amorem.
Ipſa adeo fortuna, viris cùm cætera donet,
Antiquos adimit ſocios. Emerſus ad amplas
Cæcilianus opes, & honoribus auctior, odit
Nos humilis teſtes generis. Qui plauſtra regebat
Divite nunc vehitur curru, tectoque ſuperbit
Marmoreo, tugurî ſub agreſtis culmine natus:
Jactitat affines generoſaque nomina, Pagus
Conductas dum monſtrat Oves hirtaſque Capellas,
Quas agitant uno ſecum de ſanguine nati.
Non faſtu tamen indecori corrumpere mores
Aſſolet, infami niſi parta pecunia quæſtu,
Turpibus aut furtis corroſa. Gregarius olim
Miles ab armentis Philon ad bella profectus,
Militiæ primo nunc clarus honore, paternam
Aureus ingreditur caſulam; votereſque ſodales:
Fagineis adhibet tecto ſub paupere menſis,
Regiaque apponit pulchro convivia faſtu;
Sordidulâ decorant ambo quæ veſte parentes.
Junior ante alios placuit mihi Criſpus: amabam
Candorem pueri; dulceſque à flore recenti
Sperabam fructus. Videt eheu Phyllida; viſâ
Nec potuit poſthac ſine Phyllide vivere Criſpus.
Ultus amicitiam eſt infelix, atque ſiniſtris

Alitibus malenatus amor : nec tempore ab illo
Exceſſere tamen noſtrî quæ tædia Virgo
Fecerat ; ad fidum rediit nec Criſpus amicum ;
Sed vagus huc illuc nullis ſucceſſibus errat,
Uſquè novam toto quærens ſibi Phyllida rure.
  Quid memorem mihi quàm carus, quantoque viciſſim
Quæſierat ſtudio me Titirus : ille canentem
Me calamis quia non æquat, nunc invidus odit.
Pròh ! quàm diſſimilis ! quàm diſpar moribus Ægon !
Qui noſtras coram in laudes effuſior, idem
Clam rigidus cenſor, mecum revocabat inanes
Ad trutinam verſus ; & nominis ipſe, ſuique
Contemptor decoris, famam quærebat amico.
Abſtulit hunc mediis præceps mors abſtulit annis,
Et ſecum tumulo mea gaudia condidit uno.
  Sed velut amiſſâ rate naufragus, æquore in alto
Complexus tabulam, vitæ ſpem ponit in illa :
Sic ego triſtitiæ fluctu jam merſus amaro,
Corripio quem ſors dabat opportuna ſodalem.
Gaudebam tacitus ; nec qui pius atque Deorum
Cultor haberetur, me fallere poſſe putabam :
Perfidus, & fictæ larvâ pietatis abuſus
Nominis ad famam quæſtumque, reliquit amicum,
Qui veri juſtique tenax, fraudemque peroſus,
Neſcit adulari, vanum nec fingere Numen,
Quod ſtupeat ſupplex, & thure vaporet inani,

Thyrſi vides quales fuerim ſortitus amicos;
Quos animi levitas, aut mens ingrata, vel auri
Vel laudum maleſuada fames, aut invida tandem
Mors rapuit: fatis utinam melioribus uſus
Invenias, cujus primos enata ſub annos
Perſtet ad extremam concordia firma ſenectam.
T. Abſit ut infidis iterum malè credulus auris
Navifrago dem vela mari; cæloque receptam
Secter amicitiam: miror quòd ab urbibus exul,
Cùm fugeret, ſylvas & inambitioſa reliquit
Rura quoque, ingenuos nec perſtitit inter Agreſtes.
M. Illa quidem cedens terris, veſtigia noſtros
Ultima per ſaltus fecit; ſed & abſtulit illam
Spem ſibi poſtremam quæ fraus irrupit in agros.
T. Quæ vitio graſſante, ſimul fugêre, reviſunt
Arva tamen jus atque fides; ſi fortè patebit
Hoſpitio ſibi pectus amans pietatis & æqui.
Tantane amicitiam ceperunt tædia noſtri,
Ut nullis hominum deſcendat ab æthere votis?
M. Hoc diſtant jus atque fides ab amore, quòd uno
Virtutes habitent bene pectore: nemo fidelem
Solus amicitiam ſuperis accerſit ab oris:
Sit concors opus eſt hominum mens una duorum;
Nec paribus ſatis eſt votis ab utroque vocari;
Virtutum numeroſa cohors niſi prævia cælo
Venerit; & ſedes aptans à crimine puras,
Tergat avaritiæ ſordes labemque furentis

Invidiæ, & vanis abigat mendacia linguis.

At neque nos illam venientem admittimus ultro,
Mendoſâ veluti cùm cuſor adulterat aurum
Argentumque notâ, nummo diffiditur omni:
Sic dubio falli vultûs errore timemus;
Nam fictos habitus, & verba loquentis, & ipſum
Nomen amicitiæ ſumunt fraus dira, ſuîque
Cæcus amor, levis ambitio, furor acer habendi;
Ut certas humana vias in pectora tentent.

Nos ad amicitiam primis quæ ducit in annis,
Naturam ſequimur pueri; nulloque ſodales
Delectu ſociamus: amor deceptus, ab omni
Deinde ſodalitio deterret, & omnia fraudis
Omnia plena metûs queritur maturius ævum.
Ipſam etiam damnat, quam nec ratione, nec uſu
Novit amicitiam: neque enim vacat inter honores
Augendæque rei curas, vitæque tumultus
Quos ea fert ætas, blandis impendere tempus
Officiis, & habere ſibi, non rebus, amicos.
Omnia tuta timens demum ſubit ægra ſenectus,
Quæ nec amicitias dulces invitat, eaſdem
Nec recipit: miſeros illo coquit acrior ævo
Cura viros, ut opes & plura viatica quærant,
Quò brevius ſibi reſtat iter: per edacia partas
Fœnora divitias cogunt; terriſque ſub altis
Infodiunt: alio vix flagrat amore ſenectus;
Atque novos, ut quæ nova cætera, ſpernit amicos,

Hæc ſatis : inſtanti pluviæ , dum nubila pendent ,
Subducamus Oves , quas compellemus in unum
Hoc iterum ſub colle gregem ; ſi fortè rubentis
Purior Oceani Sol craſtinus exit ab unda.

ECLOGA QUINTA.

Amicorum officia.

THYRSIS, MOPSUS.

T. NOcte volutavi totâ quod , Mopſe , docebas
Heſternâ me luce : novum ne ſecter Amyntam
Me tua deterrent exempla : tot inter amicos
Vix numeras unum tibi tempus in omne fidelem ;
Forſan & hunc , quem Mopſe doles tibi funere raptum ,
Infidum , ſi vita diu manſiſſet , haberes.
Perge tamen quod amore ſuper me noſſe volebas.
Inprimis aveo magnum Coridonis Athyſque
Certamen dirimi te judice : nunquid amico
Patria ſit potior : nam quod garribat Alexis
Ipſum etiam debere Patrem Matremque fideli
Poſtponi ſocio , ratione potentior omni
Arguit ipſa ſatis vocem Natura ſceleſtam ;
Commonet & Patres eadem , quæ cura tuendæ
Prolis habenda ſibi eſt : æquâ nec mente ferendus

Vanus amicitiæ nuper jactator, ab undis
Qui Natum ſervare ſuum cùm poſſet, amicum
Anteferens; aliam, dixit, mihi tempora prolem
Ipſa dabunt; ſociumque parem vix ſecula donant.
M. Virtutis comes eſt, ſcelerum non fautor amicus:
Et ſcelus eſt vitam vel non defendere Nato
Quam dederit Pater; aut rurſus, quem ceperit uſum
Luminis, autori vitæ non reddere Natum:
At neque fas, Patriam contra, ſervire ſodali.
Conſociat Natura viros hac lege ſub iiſdem
Mœnibus, ut patriæ primùm tum præſtet amico
Civis opem: quanquàm ſocio prodeſſe fideli
Dulcius eſt; dulcem lex aſpera vincat amorem;
Cedat & officio ſtudium, patriæque ſodalis.

Sic autem comiti comes auxiliabitur, ignes
Illius ut fœdos nec alat, nec turpe ruentem
In facinus juvet; injuſtamque exaſperet iram;
Nec prodat commiſſa ſibi ſecreta, vel aurum
Depoſitum: cuſtos alieni acerrimus æris,
Pauperibus ſibi quidquid opum eſt impendat amicis;
Sed recti juſtique tenax, ne propter amorem
Deſerat officium: juris deſertor & ipſi
Decrit amicitiæ, quam colligat unica virtus.
T. Inclinas animum dictis; ut, amicior aura
Si qua vocet, ventis iterum dem vela ſecundis:
Sed poſtquam decepit amor me primus Amyntæ;
Si quid amem poſthac, ut quondam oſurus amabo.

M. O vocem infandam! quæ quidquid amica voluntas,
Quidquid habet prædulce fides ſecura, veneno
Inficit occulto: neſcis, puer optime, neſcis
Quid ſit amor; ſi ſtare putas hunc poſſe timores
Inter, & ancipites animi mutabilis æſtus.
Sic odia & rixas decet exercere; futuræ
Spes ut amicitiæ maleſuadam temperet iram.
Hanc in amore viam fugito: nec pectore toto
Accipe, quem poſſis aliquando odiſſe, ſodalem.
Tune viæ comitem admittas; qui proditor enſem
Stringere, & incautum ferro te fallere poſſit?
Malueris periiſſe ſemel, quàm ſemper acerbam
Formidare necem: neque enim mors horrida tantum
Ipſa facit, quantum mortis formido, dolorem.
  Elige; poſt initum ſed denique fœdus, amico
Cui dederis pectus, ne pectoris ima recuſes
Credere: ſi quid enim falſi præſenſerit, ipſum
Te ſimulare putat, qui cætera fingis, amorem.
  Dicere quæ nolis, animo ne concipe tecum:
Hæc ſit amicorum reverentia, quidquid ut hoſtes
Non poterunt audire, tuo non excidat ore.
Namque ubi defecit virtus, diſſolvitur unà
Dulcis amicitiæ nodus; nec creditur illi,
Qui ſceleri fidos inſcribere poſſit amicos.
T. Hinc alio procul orbe tibi pete, Mopſe, ſodales,
Nativâ quis labe carens, quis criminis expers

Vivet in hac miſera caligine mentis, & inter
Tot ſcelerum facies, tot & irritamina culpæ.
M. Abſit ut amoveat ſocius ſe ſoſpes ab ægro,
Præſentemque manum non tendat ad ima ruenti;
Sed ferri ſinat in præceps; nec curet amicè
Arguere, & monito ſcelus emendare ſalubri.
Nemo diu bonus eſt; niſi, quæ peccaverit, hoſtis
Objicit iratus, vel victus amore ſodalis.
T. O celebrem dignumque coli, te judice, Mœrin!
Qui ſibi dilectum, moroſus & aſper amaris
Inſequitur Lycidam dictis: delictaque propter
Exigua, atroces in amicum detonat iras.
M. Oderit ille palam, mores nec durus acerbos
Diſſimulet, bilique ſuæ prætendat amorem.
Eſt in amicitia tractabilis inclyta virtus:
Ignoſcit quod quiſque ſibi, quod amator amicæ,
Quod Natis pater ingenuis; id amicus amico
Peccanti bonus indulget; niſi fortè pudendis
Facta notis maculent famam: ſed tunc quoque lenis
Blanditias addit monitis; & tempora captans
Opportuna, manus ad amici vulnera cautas
Admovet; immiti neque ferro ſævit & igne;
Sed quod acerbarent acris convicia linguæ,
Injectâ decoris laudumque cupidine ſanat,
Rumpit in extremis tamen ulcera dira periclis;
Defenditque reum populo qui teſte ſodalem,
Intra ſepta domûs clam corripit, auſus apertum

Objectare probrum, nec formidare pudorem,
Culpa verecundo comitis quem ſubjicit ori.
Vos ô! amicorum lectiſſima turba, ſevero
Ne vocis titubantis iter præcludite vultu;
Quas & adulantum ſermonibus ante dabatis,
Nunc faciles monitis aperite ſalubribus aures:
Vos moveant peccata magis quàm juſta ſodalis
Jurgia: ſi virtus, ſi gratia tangit; amicè
Accipiantur, amor quas unus ab ore querelas
Elicit, & poſitâ quas mox laudabitis irâ.
Deſperanda ſalus hominis, qui vera monentem
Et placidum dictis audire recuſat amicum.
Rumores tamen ingratos ne collige, nullo
Queis doleat fructu ſocius; nec te indice norit
Spernere quæ debet vanæ mendacia famæ.
Objectum comiti ſcelus inficiare, vel illud
Quà potes, excuſa; vel inexcuſabile ſi quid
Contigerit, fati ſit culpa, vel inſcius error.
T. Dulcius obſequio nihil eſt, rurſumque monentis
Aſperitate nihil gravius; laudoque furenti
Qui dedit aut iræ vel amori fræna; ſuoque
Maluit utilior quàm blandior eſſe ſodali.
Sed quâ laude virum donas, qui dives amicum,
Quem fortuna fugit, non deſerit ipſe, ſed amplis
Muneribus cumulat, paupertatiſque tremendæ
Nec faciem nec dira pavet contagia labis.
M. Lydius explorat lapis aurum; explorat amicos

Aurum ipſum; poſſunt & vincula firma videri;
Quæ non diſſolvunt amor & ſpes ſordida lucri.
Dulcis amicitiæ contrà deſertor habetur,
Qui ſteriles ſocio lacrymas & inania tantùm
In ſummis dat verba malis; nec triſtia tentat,
Cùm locus officio eſt, evincere fata juvando.
Pectoris interpres manus eſt: ſi dextra negabit,
Quid prodeſt quòd lingua mihi te dicat amicum?
Verus amor ſociis animum recludit & arcam,
In commune ferens & opes utrique paratas,
Et dubios animi ſenſus ab utroque regendos.
Scilicet is dulci poterit non parcere vitæ,
Qui (quod poſſit amor dare vilius,) abnegat aurum?
T. Huccine amicitiæ vis progrediatur, ut ipſi
Parcendum non ſit capiti, ſi cauſa ſodalis
Poſtulat; & vitæ ſummum diſcrimen agatur.
Sunt equidem, quos fama fuit certamine pulchro
Pro ſociis voluiſſe mori; ſed laudis amore,
Non timuere neci caput objectare; brevemque,
Æterni memores ævi, contemnere vitam.
M. Præſtantes animas magni ſeu nominis ardor
Impulerit ſeu fidus amor; feciſſe decorum eſt,
Quod ſtupeant homines, quod poſtera ſecula laudent.
Sed, vitæ contemptor, Oves in flumina lapſas
Qui mediis educis aquis, raptaſque furentis
Excutis ore Lupi; capitis vitæque periclo
Tune laboranti ſocio ſuccurrere nolis?

Auxilium, niſi jura vetant ſanctiſſima, nullum
Ferre recuſat amor: certos huic unica fines
Præſcribit virtus, quâ deficiente, ſolutus
Ceſſat amor: nil turpe roga, nil turpe rogatus
Efficias; & jure ſuo ſibi cætera poſcat,
Ac velut ipſe ſibi fido det amicus amico.
Fallor! amicorum causâ quàm plurima fiunt,
Quæ fieri ſit turpe ſuis in rebus: honores
Poſtulat, atque ſuis amor ambitioſiùs audet,
Omnia pro ſociis: veniam ſibi cariùs emptam,
Quam putet, hanc comiti ſupplex humiliſque precatur.
Mutuus hoc amor in pretio eſt, ut honeſtet, amicè
Quidquid erit ſine flagitio, ſine fraude peractum,
Nec ſatis eſt ſocio fractis in rebus adeſſe,
Illius & pronam totis fulcire ruinam)
Viribus: hoc rerum nam cardine, gloria multùm
Detrahit è meritis: magnas ſpectator inerti
Addit amicitiæ vires; quia turpe, beatum
Quem ſequeris ditemque, inopi dare terga ſodali.
Qui magis officio quàm nomine gaudet amici,
Antevenit caſum nutantis, opemque rogari
Non patitur, nec emi precibus quæ ſeriùs offert.
Dilator cauſas animo vel fingit inanes,
Ut ſine labe neget; laudumve cupidine, teſtes
Officii, & celebris quærit præconia facti:
Deperiiſſe putans, ſocio quod dives egenti

Præſtat opis, nec in ora virûm jactantior effert.
Ne videare tibi famæque dediſſe, ſodalis
Sentiat auxilium, nec noverit unde profectum eſt.
Occultis ſua dona viis tranſmittere gaudent
Numina; nec memorat quod amans & ſedula mater
Contulit in teneros, dulciſſima pignora, Natos.
Illius eſt qui dona tulit meminiſſe, datoris
Officium, comiti quæ munera fecit egeno
Occulere æternis, ut turpia furta, tenebris.
Defloreſcit enim totam vulgata per urbem
Gratia; ut in tenues unguenti ſpiritus auras
Avolat, & vaſis nimbos inodorat apertis.
Accepiſſe puta quidquid largiris amico;
Et juſtâ compenſet amor mercede laborem.
Obvius ire malis propera, quæ ſæpe ſodali
Durius eſt aperire ſuo, quàm triſtia ſecum
Fata pati: nil poſſe tuum te præter amari
Percuperet: tibi divitias hoc invidet uno
Nomine, quòd meritis nequeat contendere tecum.
Magna gravant animum quæ dona rependere noſtræ
Vix opis eſt: hunc tu, rogitans nonnulla, pudorem
Detrahito: tibi res licèt affluat ampla, ſodali
Cedendum tamen eſt, ut gratâ vice muneris æquam
Mercedem tacitâ referat dulcedine dandi.
Communes habeantur opes; & amicus amici
Dona ſui nec avarus amet, nec ferre ſuperbus
Abnuat: afflictis auſit depoſcere rebus
Auxilium

Auxilium, meritiſque novis conjungere ſacram
Quærat amicitiam. Qui munera ferre recuſat,
Quique petit timidè; vel nil ſperare viciſſim
Admonet, aut comiti ſordes objectat iniquas.
Lanigeræ non inſtar Ovis ſpectatur amicus
Ex opibus; ſed ineſt in amore potiſſimus ipſo
Fructus amicitiæ; neque tam quæ munera dantur
Ipſa placent, quàm quæ largitur amica voluntas.
Dulcior in minimis erit hæc pro tempore rebus;
Alterius ſi nempe bonis diffunditur alter,
Contrahiturque malis: ſi ſunt communia vitæ
Gaudia, communis dolor, & ſine lite, ſine ullis
Diſſidiis concors animus; niſi fortè placebit
Officio certare ſimul meritiſque; quod unum
Surgere certamen veteres decet inter amicos.
Conſilium dubiis in rebus utrinque rogetur;
Sit comitum facilis convictus, libera fandi
Simplicitas, ſermo blandus, laus ſobria, prudens
Obſequium, nudo ſimiles in pectore ſenſus,
Atque oculi vigiles ad amici commoda, clauſique
Illius ad nævos, iræque volatilis æſtum.
Summa ſit hæc: ut ameris, ama; nec plura doceri
Quæſieris: te namque ſuas amor ipſe, magiſter,
Optimus, erudiet leges; uſuque levabit,
Quidquid habent oneris; tu tantùm crede monenti,
Si minùs ingenio placeas aut arte loquendi,
Moribus ingenuis ipſoque placebis amore.

Non Lupus inſidiis, non fallax herba veneno
Paſcenti metuenda gregi eſt: hinc ſubdola Vulpes,
Hinc rabidæ Tigres abſunt: in amore fideles
Milvius immiti non ſauciat ungue Columbas;
Non blandos avium cantus fallacibus Auceps
Abrumpit laqueis, neque triſtes ulla querelas
Sylva ſonat, niſi, cùm viduus ſuper arbore longos
Exercet gemitus, amiſſo compare, Turtur.
Nubila nulla diem fœdant: lætiſſima cæli
Lætior eſt hominum facies, & aperta loquendi
Copia: pugnantes atro nec in aëre venti
Horrida bella movent, altis nec in urbibus iræ.
Rura colit Pax alma, viros lis nulla quietos
Sollicitat, nullumque ciet diſcordia motum.
Livor enim procul omnis abeſt, aurique cupido
Improba: concordes animos, concordia dulci
Fœdere regna fovent, amor & pax, candida, mentis
Simplicitas, & nuda fides, ſine lege voluntas
Juris amans, & quæ dominatur in omnia virtus.
Dulcis amicitiæ novi felicia regna,
Quæ mihi ſopito falſa ſub imagine, ſomnus
Finxerat: his vitam placuit traducere terris:
Sed brevis heu! fugit, & fortunatiſſima ſecum
Regna rapit ſopor, & tenues diſpergit in auras.
Evigilo; mecumque putans quàm fluxa fuere
Gaudia quæ carus quondam mihi fecit Amyntas;
O! ſimiles, aio, qui per mendacia ludunt,

Quique levi rumpuntur amor ſomnuſque ſuſurro,
Decipitur, vigilanſque ſibi mera ſomnia fingit,
Quiſquis in humano firmas fore pectore demens
Sperat amicitias: nihil eſt incertius illis;
Et ſi dulce frui, veterem quàm triſte ſodalem
Amiſiſſe putas? alium ne rurſus Amyntam
Sector amans, hoc Mopſe metu deterreor uno.
M. Durius eſſe nihil video, quàm rumpere priſcos
Dulcis amicitiæ nexus, ſocioque carere
Qui placuit, quem vix mutatum abſolvere poſſis,
Ipſe niſi videare reus. Quos ferre moleſtum eſt,
Fas in amicitiis triſtes prævertere caſus;
Si patienter amas; nec (quæ mortalis egeſtas)
Innubes in amore dies tibi ſemper ituros
Credideris; ſed, qui parcit tibi multa, viciſſim
Peccanti bonus ignoſcas: nec plura ſodalem
Ipſe roges, quàm tute tibi præſcribis amando:
Nec jubeas ut & ille tuos communiter hoſtes
Oderit, & tecum ſocias exerceat iras;
Sed medium quondam ſervet ſe pacis alendæ.

Si quis erit, qui ſe contemni credat, iniquus
Ipſe ſuî judex, hunc obſervare memento,
Et blandis humilem dictis attollere mentem.
Triſtia præſertim ſociæ fuge tædia vitæ:
Et nimiùm nec abeſſe diu, nec ſemper amico
Præſens eſſe velis. Menſam ut conviva, ſodalem
Deſere non plenus: ſaturum ne fortè benignæ

Et dapis & ſocii faſtidia lenta ſequantur.

Cuique ſuum inſevit vitium Natura, quod uſu
Continuo cæcâ quaſi tabe venenat amorem.
Rarior inde viri cum conjuge gratia, fratrum
Hinc amor haud conſtans. Lycidas & Titirus, olim
Unanimes, tecto (memini) voluere ſub uno
Vivere; finitimos hodie vix ambo per agros
Paſcentes agitant turpi ſine lite Capellas.
His occurre malis; comitiſque frequentior uſus
Si placeat, cognoſce tuis an & ille viciſſim
Gaudeat alloquiis: tibi nec ſis commodus uni.

Ne facilem linguis aperi liventibus aurem:
Teque licèt nequam ficto qui crimine terret
Perjuris auſit monitis prætendere ſacrum
Nomen amicitiæ; diram procul effuge peſtem.
In veterem fellis quidquid rabioſa ſodalem
Ora vomant, hoſti ne plus accrede, fideli
Quàm ſocio; ſed apud te cauſam abſentis amici
Defendant amor atque fides; expertaque virtus
Plus valeat, mala quàm diræ mendacia linguæ.
Hoc tibi da, comiti caro ſi fortè negabis;
Detracto pudeat ne dein errore, tenacem
Accuſaſſe fidem: rumores ſperne, tuiſque
Vix oculis uſum contra moreſque probatos
Crede; ſed ad veniam pronus, levioribus ultro
Peccatis ignoſce, graves & diſcute culpas.
Ne ſcelus incertum propter, maleſanus amorem

Diſſue non dubium; nec, ſi bene pœnitet, omnes
Ad reditum præclude vias: peccaſſe fatentem
Si placidus recipis ſocium, dulcedine mirâ
Inter utrumque novis coit exin gratia vinclis.
Solvit amicitias quoque dira cupido, ſuîque
Cæcus amor: licèt ipſe ſuam quodcumque ſodalis
Adjicit ad famam, noſtro ſuccreſcat honori:
Hoc hominis vitium tamen eſt, ut diligat ipſum
Se magis, & trutinâ nunquam ſuſpendat eâdem
Alterius res atque ſuas: hinc plura rogamus
Quàm facimus; ſocio vix cedimus; atque tenaces
Conſilii, nunquam patimur certamine vinci.
Dividit hinc ipſas diſcors ſententia mentes;
Diſſidiumque frequens, quanquam leve, ſæpe ruinam
Ducit amicitiæ, quam mens alit una duorum.
f. Non aliam ob cauſam jam nunc averſor Amyntam;
Meque ipſum ſatis haud miror, qui nuper amorem
Abruptum dolui, quem conjunxiſſe dolendum eſt:
Quidquid enim facerem carpebat acerbior: agros
Si ſequerer, pecus ad ſylvas agitabat opacas.
Ingrederer ſiquando nemus, jam tum arva placebant
Pulverulenta viro; deſideriiſque faventem
Vix habui, niſi cùm ſimulatâ mente locutus,
Orabam tacitis animi contraria votis.
Si canerem, noſtro nil carmine triſtius unquam
Audierat; vaſtoque dabat ſi gutture cantus,
Hos ego ni plaudens laudarem effuſiùs, hoſtis

Invidioſus eram ; vel judex vocis ineptus.
Illius è nutu pendens, vix nobilis ipſum
Nomen amicitiæ noram : non ille ſodalem
Quæſierat, vilem ſed amici nomine ſervum.
M. Parciùs hæc comiti tamen objicienda remoto,
Si neſcis, ſua ſunt rupto quoque fœdere priſci
Jura ſodalitii : non infamandus apertis
Opprobriis, olim te judice dignus amari.
Hæc capiti ingrato ſi non debetur, at ipſi
Debita amicitiæ eſt reverentia, debita famæ :
Carpit enim graviore leves rumore malignum
Vulgus amicorum rixas, quàm maxima fratrum
Jurgia ; quòd natos uno de ſanguine fatum
Junxit, & addictos ratio delegit amicos.
T. Mene reo turpique jubes hærere ſodali,
Nec vitare palam notæ contagia labis ?
M Effuge, teque ipſum ſerva ; ſed conſule famæ
Illius atque tuæ ; nec quod diſſolvere poſſis,
Vulnere ſcinde novo : fatis extinctus iniquis
Non oppreſſus amor videatur ; idemque, ſoluto
Fœdere, præſidium coram, ſermoque benignus,
Idem perſtet adhuc alio ſub pectore vultus,
Officiique tenor : mutata negotia vulgus
Non animos credat ; dum longo aſſueverit uſu ;
Jam neque mordaces acuant divortia linguas.
Inprimis commiſſa tace ſecreta : tabellas,
Si quæ fortè manent ſcriptas quas nollet amicus,

Redde; nec ex illis memori quid pectore ſerva;
Præter amicitiam teſtantia verba priorem.

Si comitis ſcelus erupit, ne fortè redundet
In mores famamque tuam; polluta reatu
Fœdera rumpe palam; ſed amici turpe peroſus
Crimen, amicitiæ memor eſto; nec omne negetur
Auxilium miſero, ſi clam ſuccurrere poſſis:
Hic veteri ſupremus honos debetur amori.
T. Ergo etiam ingrato bonus auxiliabor amico,
Qui mihi dives opum ſeſe ſubduxit egenti?
M. Vix potes ulciſci meliùs, quàm rebus in arctis
Indignum ſi fortè juves; doceaſque merendo,
Quid tibi debuerat, quæ jura fefellit avarus;
Excidit & cujus demens ab amore ſodalis:
Illius ultrici pœnas & crimina menti
Permittens, odiſſe cave, quem nuper amabas:
Nil gravius, veteres nil turpius inter amicos,
Quàm quod inardeſcit bellum: diſcede, nec audi
Ampliùs ingratum, priſcæ quamcumque per artem
Rurſus amicitiæ fallax adrepere tentet.

Jam medium prope Sol orbem conſcendit; opacas
Hinc pecus ad fluvii ripas agitemus, ut umbræ
Succedat, riguiſque ſitim deponat in undis.

ECLOGA SEPTIMA.

Officia erga amicum levem & ab amicitia diſcedentem.

MOPSUS.

UNanimes vixere diu cum Daphnide Mopſus :
Par erat his ætas, paribuſque exercita curis
Vita per umbroſas ibat lætiſſima valles.
Manè pecus ſtabulis prima cum luce recluſis
Roſcida ducebant ad paſcua ; quæque per artus
Inſinuant ſeſe blando dulciſſima ſenſu
Frigora captabant & Oves Oviumque magiſtri.
Sole ſub ardenti cùm jam grex languidus æſtu
Colligeret ſeſe preſſum conjunctus in orbem,
Carpeſet aut ſparſim ſummas ignaviùs herbas,
Fervida mutabant nemoroſis arva tenebris ;
Et viridi Quercûs ſub tegmine carmen agreſti
Vel modulabantur calamo, vel feſſa ſopori
Membra dabant. Utriuſque canes per opaca vagantem
Communi ſtatione gregem ſervare ſolèbant.
Hos quoque jam longus conjunxerat uſus ; heriſque
Certabant in amore ſuis: nec ſeria morſu
Bella laceſſebant, facto licèt impete, collum

Alter in alterius ſictâ colluderet irâ.

Vix proprias & paſtor Oves, dominumque viciſſim
Vix norat grex ipſe ſuum: diſcrimine nullo
Alter ab alterius mollem vel ovilibus Agnum
Vel niveum Lac hoſpitibus ponebat amicis.

Nec commune pecus tantùm, ſed & abdita mentis
Conſilia & ſenſus imo ſub corde repoſtos
Communes habuere; graves audire parati
Inque vicem nudo depromere pectore curas,
Atque per hæc fidæ commercia mentis, opumque
Auxilia, & rebus magis exultare ſecundis,
Adverſiſque dolere minùs, ruriqve quieto
Mutua felices per gaudia condere ſoles.

Nulla per æſtivos fuerat ſibi viſa calores
Longior ire dies; nullum triſtiſſima caſum
Vita tulit, qui non miteſceret illico blandis
Alloquii vicibus: fortunæ nullà faventis
Munera contigerant, comiti quæ cognita fido
Non magis afficerent: amor heu! paſtoribus ipſis
Notior emoritur: multos connexa per annos
Vincula rumpuntur: quid jam ſperemus amantes.

Primus amicitiam cœpit diſſolvere Daphnis:
Ignarumque rei Mopſum vitare, nec ultra
Quidquam dulce loqui, ſi fortè occurreret illi:
Effugiebat enim veteri loca nota ſodali,
Atque repoſcentes ſocium balatibus agmen
Daphnis Oves aliò procùl incomitatus agebat.

Credulus accuſat fortunam Mopſus : inanes
Accumulat cauſas nullamque intelligit iram.
At certis ubi conſiliis animoque volenti
Daphnin abeſſe videt ; turbatus vulnere mentis ,
Hæret , & ambiguis anceps affectibus errat.
Ac veluti paribus pugnans cum viribus Auſter
Concurrit Boreæ ; dubium cui pareat æquor ,
Fervet aquis ; ita nunc odio , nunc rurſus amore
Fluctuat , & ponit Mopſus poſitaſque reſumit
Spes animo , premiturque iterum formidinis æſtu ;
Accenditque ſuas , quas ante repreſſerat iras.
Vicit amor tandem , Daphninque abſolvit ! opacas
Mentis inops valles Mopſus ſylvaſque peragrat ,
Et notos inflat calamos , & Daphnida clamat ;
Nec calamis nec voce poteſt revocare fugacem :
Hunc adit , & timido blandus ſermone laceſſens ,
Hortatur fari ſenſuſque aperire latentes ,
Egerere & tacitos ægro de corde dolores.
Quæſitas odii cauſas ſilet ille ; tenaxque
Conſilii , vix pauca refert ; fingenſque vocari
Se procul errantis vaga poſt veſtigia Capri ,
Terga dat , & preſſo fugit intractabilis ore.
Mopſus ubi lacrymas queſtuſque effudit acerbos ,
Nec potuit priſco ſubmittere Daphnin amori ,
Sanior ipſe ſuum neque vincere : triſtibus æger
Se nemorum recipit latebris ; luctuque dolorem
Exaturans , amat amiſſo pro Daphnide fletus.

Ac velut aſſiduos, erepto compare, Turtur
Exercet gemitus, attentas Aucupis aures
Nil metuens: neque enim refert dolor altus an Auceps
Eripiant, quam mœſtus avet deponere vitam.
Sic dolet; & lacrymis æger jejunia paſcens,
Mopſus Oves macie informes, informior ipſe,
Auſpiciis finit ire ſuis, rupeſque per altas
Deſertoſque locos nullo cuſtode vagari.

Sæpe volens memori de corde revellere Daphnin,
Riparumque toros linquit, vetereſque receſſus,
Quæque ſuo dulces fuerant cum Daphnide valles:
Cætera cùm fugiat, ſeſe non effugit unum;
Et licèt abraſo Salicum de cortice tollat,
Non abolere poteſt infixum pectore Daphnin.
Hunc vocat, & juſtis quos reſpondiſſe querelis
Credidit, exorat montes ut Daphnida reddant;
Daphnidis at nomen reddunt, non Daphnida montes.

Has inter curas, & vitæ tædia Mopſus
Per tacitos nemorum ſaltus, per opaca viarum
Ibat, & arboribus queſtus jactabat inanes.

Ergo fugis me, Daphni? mei nil perfide fletus,
Nil potuere preces: inſontem audire recuſas:
Et quod amica manus poſſit ſanare, tegendo
Vulnus alis: non invidiam, non ficta malignè
Crimina, non falſæ ſentis convicia linguæ,
Nec ſpretum meminiſſe potes, te propter, Alexin.

Quid queror invidiam! ſeſe malus audiit unum
Daphnis

Daphnis, & ipſe ſuo me crimine perfidus odit.
Oderit, & vecors alium ſibi quærat amicum:
Nil moror; haud deerit ſpreto Deus ultor amori:
Experiere novi faſtidia lenta ſodalis;
Nolentemque voles ad priſca reducere Mopſum
Vincula: ſed redeas ne ſerior, en age, Daphni,
Conſilia in melius refer; & ſanabile donec
Vulnus hiat, læſo prompti medeamur amori.
Quæ te vana tenet ſpes, quæ fiducia, Mopſe?
An quòd amicorum mundi numeratur ab ortu
Par aliquod conſtans; tibi tempus in omne ſodalem
Credule ſperaſti fidum fore: ſcilicet illud
Inſtabilis Fortuna tibi ſervavit; ut ipſâ
Non levior vitæ comes adſit; & hunc dabit ævi
Terminus anguſti, quem vix ter dena tulere
Secula, vel mendax quem fabula finxit amicum:
Dejice ſpes animo vanas, ſociumque fidelem
Deſine ſectari: licèt hunc adamantina tecum
Vincla ligent, vinclis tamen excidet ille ſolutis;
Et longo mœrore breves mercabere fructus
Dulcis amicitiæ: mortalibus invidet ægris
Hoc Fortuna bonum, quod ſi concederet ultro,
Non foret ipſa ſatis jam nunc habitura malorum,
Alternis ut conſiliis, & amore fideli
Munitos ſolida quateret de mente ſodales.
Me miſerum! ne poſſe quidem ſperare, quod unum
Vitæ præſidium, teneriſque levamen ab annis

Quæſieram : quid enim toties deceptus amores
Profuerit captare novos : vale, Daphni meîque
(Sic quoniam placitum) per me licet, immemor eſto.
Cum gregibus, Cane cum fido ſtat vivere ſolum,
Et gaudere minùs leviùſque dolere, viceſque
Effugere alternas odii, & naſcentis amoris.

Huc ades, & mecum Canis, obliviſcere Daphnin
Ingratum ſi fortè vides, latratibus inſta,
Et quâ voce potes, mutabilis objice crimen
Ingenii : veteris tamen haud oblitus amoris,
Parce (licèt meritum) ſcelerato invadere morſu.

Ergo tibi, Canis, unus ero, quem deinde ſequaris:
Unus eris quem ſemper amem : non Daphnida mecum
Ampliùs aſpicies; tibi nec jam mellea dicet
Nec mihi verba bonus; neque te ſtimulabit in acres
Hortator clamore Lupos; nec fortia plaudens
Dulci colla manu, victum gratabitur hoſtem.

Æternùm vale: Daphni, vale: tu ſola mearum
Fiſtula curarum jam conſcia, ſola levamen
Et vitæ comes eſto meæ, requieſque laborum.

Hæc ait; & cantu quærens finire dolores,
Multiforem digitis Mopſus percurrit avenam;
Flebilibus ſed & ipſa modis, nil præter amorem
Præter & amiſſum cecinit nil fiſtula Daphnin.

ECLOGA OCTAVA.

Officia erga demortuum Amicum.

ARGUMENTUM.

Hanc Eclogam è qua emanarunt cætera, ſcripſi poſt obitum amiciſſimi mihi, dum viveret, R. P. Aribat è Societate Jeſu: tam dulces ab ejus amicitia fructus collegeram, ut cum ab eis avocare animum vix poſſem, ſtatuerim de amicitia ipſa ſcribere; & quem ab amici morte dolorem ceperam, ipſius amicitiæ recordatione conſolari. Pro veris itaque habeto, Lector, quæcumque in hac ultima Ecloga de cariſſimo ſodali ſub Ægonis nomine commemoravi: in reliquis deſignare neminem volui; ſed fictis dumtaxat exemplis Eclogas adornare, & tædia præceptionum levare.

MOPSUS, LYCIDAS.

Alter ab Ægonis jam funere fluxerat annus;
Ac veluti jam tum veteri caruiſſet amico
Mopſus, inexhauſto fletu mœrebat ademptum;
Illius & circa tumulum velut umbra pererrans,
Aut gelidos lacrymis cineres rorabat amaris;
Vel nemorum per opaca latens ſine teſtibus ullis
Has dabat aſſiduo mœſtiſſimus ore querelas.

Ergo mihi neque te gemitus nec vota redonant;
Æternùmque tuos, Ægon ſuaviſſime, vultus
Abſtulit, & triſti mors condidit atra ſepulchro.
Omnia viſa mihi tecum interiiſſe; frequentes

Per vicos vagus exul agor ; deſertaque noſtris
Apparent oculis quæ te quærentibus unum
Oppida non reddunt : animi ſolatia quondam ,
Rura meas renovant , ſine te jam ſordida , curas ;
Quæque meos fletus abſtergere Muſa ſolebat ,
Nullius auxilii eſt : nam quos cariſſimus Ægon
Non audire poteſt , jam non vacat edere verſus :
Nec ſi fortè velim , mentis tamen inter opaca
Nubila proferrem , quæ deducenda ſereno
Carmina ſunt animo : Mens triſtior omnia triſti
Suffundit nigrore : mihi nec candida ſurgit
Cynthia , nec tenebras oriens ſol diſcutit atras.
Nil Vitis me culta , nihil pendentia ramis
Poma juvant , blando jam non carpenda ſodali.
  Quò me cumque trahant , à funere pallidus Ægon
Semper adeſt lateri , comes indiviſus ; adhæret
Et dolor amiſſi comitis ; præſtoque recurſant
Illius expirans facies , obitumque ſub ipſum
In noſtros converſa tulit quæ lumina vultus ,
Supremumque vale , tenui quod murmure dixit ,
Dextraque quam moriens , & jam ſine voce tetendit.
  Nox mihi ſola placet , quæ fallit imagine dulci,
Abſentem referens per ſomnia vana ſodalem ,
Feſtivoſque ſales , atque aurea dicta redonans.
  Sed breve colloquium nimis heu velocibus horis
Amputat orta dies : torpentia lumina ſomnus
Effugit ; & mecum dolor evigilatus , acerbos

Mœrores curaſque refert & tædia rerum.

Quo ſine te ferar, ô comitum ſuaviſſime? vitæ
Te ſine ſors quàm dura meæ? triſtiſſimus olìm,
Afflictoque jacens animo, recreabar amicis
Alloquiis: tecum, quidquid grave contigit; æquâ
Mente tuli: jam nulla mihi fomenta dolorum,
Nulla quies operum, dux nullus & author agendi,
Qui regat ancipiti certos in tramite greſſus.
O! ubi felices unà quos duximus olim
Rure dies! ubi candor! ubi ſecura loquendi
Libertas! ubi ſacra fides, & amica voluntas!

Arbitrio quondam, memini, te propter amabam
Rus urbemque tuo: ſoles umbræque placebant,
Sol ubì poſthabitis placuit tibi candidus umbris,
Aut ubì ſylveſtres iterum placuere receſſus.
Jam ſine te nemorum me territat umbra; nec ipſi
Dulcè nitent ſoles: te nunc abſente voluptas
Nulla movet: nullo recreor ſermone, dolorem
Ni foveat, nomenque tuum laudeſque ſequatur.
Ipſa adeo quam mittit Arabs, gratiſſima tecum
Non redolet gratos, uni faba pota, ſapores:
Neć ſua vis, nec honor ſuus eſt Sinenſibus herbis,
Quas tua dextra meæ non ampliùs injicit ollæ.

Quò vertam me deinde? tuî aſſuetudine longâ
Jam nullo potero nec vivere ſolus amico,
Nec ſperare tuî ſimiles. Ab amoribus idem
Abſterres, idem invitas me rurſus ad uſum

Dulcis amicitiæ; deſideriumque ſodalis
Das adimiſque novi: neque enim, felicia qualem
Fata mihi dederant, potero reperire, benignos
Cujus amem ſimul & mores, & mirer acutæ
Mentis opes, facileſque jocos, fœcundaque ſanis
Pectora conſiliis, & avaræ neſcia fraudis.

Nullus es, at noſtro vives in corde; tibique
Solvere quæ vitam potuit, non ſolvet amorem
Mors inimica meum: defuncto vivus amico,
Non oculis, ſed mente fruar; memorique reſumens
Pectore quos olim tecum miſcere ſolebam
Sermones; abſens, etiam poſt fata, juvabis
Conſiliis, ſpeciemque tuî viventis amabo.

Audiit, & tantos quærens abrumpere fletus
His ſeſe Mopſo Lycidas cum vocibus offert.

Lyc. Mopſe quid indomito juvat indulgere dolori?
Occidit & nobis Ægon, ſpes maxima ruris,
Paſtorumque decus: mœſtos cùm tempora luctus
Ipſa levent; præſtet ratio quod ſeriùs annis
Conſequimur; ſocium lacrymis nec pluribus urge.

Sed quoniam procul hinc aberam, cum finiit Ægon
Morte dies; quæ fata tibi rapuere ſodalem,
Dic age, & exonera noſtras grave pectus in aures.
M. Parebo, Lycida, neque me narrare pigebit
Quæ meminiſſe juvat: tractari vulnera poſſunt,
Cruda cicatricem nullo quæ tempore ducent.

Vicinos extrema fames invaſerat agros;

Et diræ niſi peſtis opus tibi nuntia fama
Detulerit, potes ex vacuis cognoſcere Pagis.
Confectum macie miſerabile vulgus agreſtes
Deſeruit caſulas: inculta per arva, per urbes
Nuda virûm ſimulachra; ſitu ſordentia fœdo,
Exanimes artus deformiaque ora trahebant.
Sacra Toloſa greges inopum miſerata vagantes
Colligit admiſſoſque piæ ſub mœnibus urbis
Excipit hoſpitio; ſed frugis inania toſtæ
Munera dant: os torpet iners; deſuetaque veſci
Membra gravat, morboſque cibus molitur acerbos.
Credite venturi retro poſt ſecla nepotes,
Credite: nam teſtis mihi tota Toloſa, reique
Fama recens: hominum tot millibus, omnium egenis,
Et ſolâ pietate potens animiſque, vir unus
Auxilii genus omne tulit; ſed vicit amicam
Morbus opem: gliſcit tabes; & corpora paſſim
Strata jacent, redduntque animas: hoc acriùs Ægon
Incumbens operi, quò plus videt eſſe pericli,
Seriùs heu! vires animis ingentibus æquas
Non fore præſentit; vitæ tamen immemor, ægris
Indefeſſus adeſt, ægerrimus ipſe, Colonis;
Et ſuper aſſurgens generoſâ mente dolores,
Inſtat, & admonitu noſtro nil cautior urgens
Propoſitum, diræ tandem contagia labis
Indubitata trahit, lectoque affigitur, author
Funeris ipſe ſui noſtrique; perire volentem

Auxilio cari capitis; niſi fata tot inter
Me pulchri comitem ſors reſpuat invida lethi.
Me ſine ſolus obit: morientibus oſcula labris
Vana dedi; nec in ora meam transfundere vitam,
Nec cum peſtifero potui deducere flatu
Illius è gremio quæſitæ ſemina mortis.
Egregiæ duxiſſem utinam virtutis amorem;
Inque meum fuſos ab amici pectore pectus
Ultimus afflaſſet divinos halitus ignes.
Ultimus errat enim morientis in ore ſodalis
Spiritus; & circùm ſtans ſedula turba medentum,
Quam non ſperat opem, flenti promittit amico.
Nec tamen in tanto diſcrimine promere ceſſat
Quidquid in arte ſua eſt, ignara mihine dolenti
An morienti illi magis auxilietur: utervis
Et noſtrûm doleat magis, an cui vita, ſodalis
An cui tam carus fato tollendus acerbo eſt.
Tollitur; herbarum neque vis, nec dextra medentum,
Commodiora mihi neque vota preceſque morantur
Numen ab exilio properans accerſere lucis
Contemptricem animam; læto ſuper æthera plauſu
Hanc pia gens inopum Cælo præmiſſa, recepit.
Illius auxilio ſalvi, pia vota preceſque
Concipiunt; veſteſque ſibi quas contulit Ægon
Oſtentant, & pacta Deum promiſſa repoſcunt.
Lyc. Et potes hunc deflere! tibi vel credis ademptum,

Cujus inextincta eſt virtus ; quem ſecla loquentur
Poſtera ; quique tibi magnis hortamen in auſis
Dein erit exemplo , precibuſque adjutor amicis.
Ambiguos obitus , vulgaria fata ſequantur
Fletus , amanſque ſuî dolor : inclyta funera triſtis
Dedecorat luctus : cælo data victima queſtus
Improbat ; & vitæ qui prodigus obvia letho
Pectora fert , ſacra pro relligione , tuendis
Pro populis , illum non tam amiſiſſe dolendum eſt ,
Quàm caros inter gaudendum habuiſſe ſodales.
Una duobus erat , dum vixit uterque , voluntas :
Hæc ubi nunc animi concordia ? lætior Ægon
Quæ ſubiit , tu fata doles ? nec mortis acerbos ,
Quos gaudens tulit ille , potes meminiſſe labores.
Te memorem mortis juvat illius eſſe , piiſque
Exemplis animum ad vitæ melioris amorem
Erigere ; injuſto ſed non abſumere fletu
Quam debes animam ſocio ſervare ; tuiſque
Si ſupereſſe malis , deſiderioque fideli
Tam cari capitis vix dum potes ; illius ergo
Vivere rurſus ama ; te ſoſpite vivat ut Ægon
Quà licet ; atque ſuî cum parte ſuperſtite , totus
Ne pereat , tantos animo defende dolores.
M. Alterius nunquam deſunt ſolatia fatis ;
Et quæcumque doces , Lycida facunde , loquebar
Hæc eadem mecum : ſed quem convincit iniquum ,
Non humana valet ratio compeſcere luctum.

Certè ego tam carum niſi flevero ſemper amicum ;
Immemor haud uſquam vivam ; nec pectore labi
Poſſe putem, quem cuncta monent mihi deeſſe ſodalem.

Hæc ait, & Lycida nequicquam hortante, tumenti
Suſpenſos oculo fletus effundit ; & ægrâ
Mente jacens, querulis iterum loca queſtibus implet.

BEATO REGIO
VOTUM SOLUTUM
DE AMORE DIVINO.
ECLOGA SACRA.

ERgo per infidas hominum ne, Muſa, vagemur
Rurſus amicitias ; aliumque ſequamur amorem,
Quem neque mens ingrata virûm nec funera rumpant.
Tu modò divinas, quibus olim Regius arſit,
Humanâ ſi voce licet, da dicere flammas.

Non ignota loquar : teſtis ſociuſque laborum
Sæpe renarravit teneris mihi (*a*) Bæſſus in annis
Sermones cupidâ quos clam ſublegerat aure,
Cùm placidum nactus loca per montana receſſum,
Regius hæc in verba ſacros effunderet ignes.

(a) P. *Baiſſen Societatis Jeſu, B. Regii comes in Gehennis Miſſionibus, à quo puer olim mira audiebam de pietate ejuſdem B. Regii.*

O Deus ! humanæ cuſtos O gentis ! amari
Tene jubes, pretioque meos accendis amores ?
Num ſacer eſt amor ipſe ſibi pulcherrima merces ?
An pelagi poſſim tractus, terraſque jacentes,
Cæleſteſque plagas oculis luſtrare, nec orbis
Artificem te noſſe Deum, nec amare ? tuarum
Stelliferi laudum narrant præconia cæli :
Teque bonum, Deus, humanæ te gentis amantem
Prædicat omniparens tellus ; id in aëre paſſim
Alituum genus omne ca it ; nec Piſcis in unda,
Herboſos nec muta ſilent armenta per agros.

Omnia namque mihi, Deus optime, nata ; tuoſque
Nec parit almus ager, neque Sol, fons lucis, in uſus
Exoritur : vitæ dederis cùm multa tuendæ,
Plurima deliciis ornamentoque dediſti.
Nec tamen hæ propriæ ſedes & patria tellus,
Triſte ſed exilium curſuſque, breviſſimus ævi,
Quo cæleſte ſolum petimus. Quæ copia rerum
Nos à morte manet, cùm te præſente fruemur ;
Æthereoſque inter Proceres ſecura bibemus
Gaudia, quæ caſu nullo peritura, nec ullis
Temporibus minuenda, novis ſine fine beabunt
Deliciis oculos & inexaturabile pectus.

Hæc tu per lacrymas mihi gaudia, chriſte, paraſti,
Æternamque tuo meruiſti funere vitam :
Nam poſtquam primævus homo genus omne ſuorum
Perdidit heu ! demerſa malis luctuque jacebat

Infernis gens tota virûm tranſcripta tenebris;
Antiquum neque pœna nefas ſatis ulla piabat.
Te tibi concilias Deus; humanamque ruinam,
Immortale tegens mortali corpore Numen,
Interitu reparas; & nos in jura reponis
Priſtina, nativas abſtergens ſanguine noxas.
Nec ſatis eſt noſtros quòd capturus amores,
Indueris hominem: fis illius eſca; novoque
Prodigio præſens ades idem millibus aris;
Et veſca ſub fruge latens, mortalia gaudes
Ora ſubire: Deum nec dona tot inter amabo,
Qui levibus tangor meritis hominumque favore?
Munus an imminuit majeſtas dantis! amori
An nocet eſſe Deum? tibi ſufficis ipſe, tuarum
Dives opum: conferre tibi mortalis egeſtas
Nil potis eſt: ſterilem tamen, arbiter orbis, amando
Quæris amicitiam; & cùm poſſis cogere, noſtri
Heu nimis arbitrii reverens, hortaris amare:
Et niſi diligimus, triſtiſſima fata minaris;
Si tamen irato contingere Numine poſſit
Quid gravius, ſacri vacuum quàm pectus amoris.
O! cæcas hominum mentes, quas fulmina terrent,
Nec pariter divina movent benefacta! paterno
Tu nobis animo invigilas: tibi carior ipſi
Quàm mihi ſum: duce te, licèt æquore jacter in alto;
Non timet adverſam ſpes, anchora firma, procellam.
Verax atque potens uno Deus omnia nutu
Efficis:

Efficis : occultas ſupples ad grandia vires,
Et caliganti fulgens lux intima menti ,
Per dubios incerta regis veſtigia calles.

Si quis aberravit recto de tramite, blandâ
Voce vocas , intuſque mones, monitiſque ſeveras
Sæpe minas , ſed non hoſtiliter addis, amorem
Exercens curaſque patris, non judicis iram.

At neque deſtituis quos per diſcrimina rerum
Emendare placet : comes adjutorque laborum
Tu mihi ſemper ades ; niſi te prior ipſe relinquam ;
Quod cæcâ ſi mente velim temerarius ; auſis
Tu pater & cuſtos hominum fatalibus obſtas :
Non ſecus ac teneris Natum complectitur ulnis
Alma Parens ; quanvis imbellibus ille lacertis
Divelli gremio tentet, moriturus ; amicam
Obſequioſa manum ſi laxet ; humique volentem
Crudeli pietate ſinat procumbere mater.

Te ſine, ſumme Deus, nequeo qui vivere, tecum
Vivere cur fugiam ! meque ad terrena , capacem
Numinis , abjiciam ; nec amem te , ſolus amorem
Qui ſatiare potes. Peritura per omnia pacem
Non reperit tibi natus homo ; ſed ab arbore lapſæ
Ut volitant frondes rapidis ludibria ventis ;
Pectora flagranti ſic noſtra cupidine rerum
Uſquè novâ jactantur : amant & amata relinquunt ;
Et nocitura ſibi nequicquam gaudia prenſant :
Torquet enim ſperata, magis ſed capta, voluptas ;

Innumeris quæ fœta malis, in viſcera gliſcit.

Quanta quies hominis contrà qui diligit unum
Te Deus, & tecum gaudens habitare ſub alto
Pectore, nil populi Regumque negotia curat.
Altiùs humanis caput erigit; atque dolores
Inter, & adverſos caſus immobilis hæret,
Firma procelloſo qualis ſtat in æquore rupes,
Quæ ſcopuli ſe mole tenet, cælique tumultum
Atque laceſſentem magno cum murmure pontum
Excipit, & longè fluctus immota remittit.

Proh! quantis bonus exoneras mea pectora curis,
Chriſte, jubens ſpretis ut amem cæleſtia terris.
Cœnoſas cur ſecter aquas, haurire liquores
Cui puros è fonte datur! mihi numen amicum
Eſſe poteſt; hominumque pati faſtidia mallem,
Vel grave ſervitium! ſi ſpes, ſi gratia tangunt;
Nil habeo quod non dederis: nil ſpero, daturus
Quam quod eris: ſi forma placet; quo ſidera fulgent,
Quo mare, quo tellus, à te decor effluit omnis.
Barbara movit amor ſi pectora; primus amaſti
Nos Deus immeritos; & amoris certa tenemus
Pignora, quæ remanent obitæ veſtigia mortis.

Præſidii cauſa turpiſque cupidine lucri
Diligimur: tu ſolus amas, ut amore beatum
Me facias; das ut dites; & munera tantùm
Si tua ferre velim, videor tibi gratus abunde.

Non, hominum de more, vices in amore moleſtas

Exerces; neque momento mihi deperit omnis
Fructus amicitiæ longo jam tempore junctæ.
Si volo, ſemper amas; alio ſi captus amore
Te fugiam, revocas; & me ſi pœnitet auſi,
Placari facilis, nec jam memor ampliùs iræ,
Non recipis tantùm; ſed conſolare dolentem
Acriùs, & dulces etiam das fundere fletus:
At neque compoſitos quod acerbiùs urit amantes,
Indubitas reducis fidei, Deus intima præſens
Pectora cùm videas, nec ſit te fallere quemquam.
Exitus acta probat mortales inter: amorem
Expendunt illi meritis: tibi ſola voluntas
In pretio eſt; noſtros neque res effecta labores
Commendat, ſed amor, ſed mens ſibi conſcia recti.
Infidos adverſa fugat Fortuna ſodales:
Rebus in afflictis non deſeris unus egentem:
Das faciles aditus: te quâ placet alloquor horâ;
Te rogo, nec ſurdas precibus bonus obſtruis aures.
Non plures amat unus homo, nec pluribus idem
Diligitur: tu ſumme Deus, ſatis omnibus unus,
Nos & amas omnes, & in omnibus unus amaris;
Et noſtrî cum nil egeas, dulcedine dandi
Ne careamus, opum partem dator ipſe requiris,
Acceptumque refers quidquid largimur egenis.
Grandia mendicæ plebis patrimonia, Chriſti
Si quis amor, ſi quæ tangat nos cura ſalutis.
Felicem, qui caſtra ſequor tua nudus, opumque

Utilitate fruor, quanvis accepta redonem;
Perque meas aliena manus ſe munera fundant;
Non ſua per cæcos veluti fluit unda canales.
Cùm caderet plebs ima fame morboque, rogatu
Sæpe meo cæleſte dabas mortalibus ægris
Auxilium, fractis ſuccurrens rebus, humique
Triticeas anni quas inclementia fruges
Abſtulerat, ſub egena bonus clam tecta reponens.
Hæc tua laus, operum viles adhibere miniſtros;
Humentique luto velut olim luminis orbos
Sanabas oculos: noſtrâ ſic voce manuque
Aut animo tenebras abigis vel corpore morbos.
Si quid adhuc hominum poſſim ſervire ſaluti,
Pœniteat quanquam nimiùm vixiſſe, laborem
Accipio vitamque; tuî nec amore gravabor
Te caruiſſe diu, cæleſtibus exul ab oris.
Sed cùm noſtra tuis delicta ſalubribus obſint
Conſiliis; abſens à te quid inutile pondus
Demoror in terris? rerum Deus arbiter, omnes
Rumpe moras, animamque ſuis hanc exime vinclis.
Quando erit ut clarâ videam te luce micantem;
Teque, meî ſecurus, amem! dum vita manebit
Excidere, ac gravibus poſſum ſuccumbere culpis;
Et faciam, niſi te defenderis ipſe potenti
Præſidio; firmetque gradus divina labantes
Numinis aura tui. Quoties heu, Chriſte, fefelli
Pollicitus meliora, fidem. Peccaſſe fatentem

Reſpice me, ſed Chriſte tuo me ſanguine tinctum
Reſpice; nec tantos pro me ſubiiſſe labores
Pœniteat: meritas poſcunt ſi crimina pœnas
Exorant veniam clementia, quæque ſubiſti
Vulnera ſæva. Pater, ſcelerum rigidiſſimus olim
Cognitor & vindex, te judice teque patrono
Parcere vult: neque enim tanti quod conſtitit, ultro
Abjicies, ſervare potens. Ignoſce; tuiſque
Suppliciis noſtram ſi vis accedere pœnam;
Nil moror; emenſo Japones da viſere Ponto;
Dira tuis infert aris ubi bella; meoſque
In fratres ferro gens barbara ſævit & igne.
Crimine quo potui meruiſſe tot inter ut unus
Non fuerim, qui morte ſuum teſtantur amorem,
Affixique cruci flammis felicibus ardent.

Sed quis ego, cui tantus honos ſervetur; ut ignes
Inter & hoſtiles gladios, jam certus amandi,
Vitam, Chriſte, tibi per vulnera mille rependam.

Hactenus ore loqui poterat; ſed barbara poſtquam
Obtulerant animo ſe regna, cruceſque paratæ;
Tum deſideriis totas laxabat habenas
Regius; & Chriſtum lacrymis ſine voce laceſſens,
Orabat Japonum flammas, enſeſque cruentos,
Vel glaciem Canadenſis humi, finemque laborum,
Audierat qualem ſocios habuiſſe; rubenti
Crate ſuper prunis toſtos crudeliter artus
Qui dederant, horrenda feræ convivia genti.

ECLOGÆ VARIÆ.

ECLOGA PRIMA.

AD SERENISSIMOS BURGUNDIÆ ET BITURIGUM DUCES,

Cum Toloſâ iter agerent, poſt deductum in Hiſpaniam PHILIPPUM REGEM.

MENALCAS, TITIRUS, CORIDON.

M. REGIA progenies, fratrum par nobile, Regni
Spes & amor, lætæ muros ſubiere Toloſæ.
Millia multa virûm fulgentibus ire ſub armis
Vidimus, & dites auro ſplendeſcere currus,
Ornataſque nitere vias, pedibuſque verendis
Octoviros ſimul advolvi, ſanctumque Senatum.
Urbani pretioſa ferent dum munera cives
Noſtrane principibus doni nihil arva remittent?
T. Hortorum populabor opes; & mollia menſis
(*a*) Fraga dabo; pedibuſque Roſas & Lilia fundam;
Accipiam nidis geminas utrique Columbas;
Et Vinum lectoſque ferens de Vite racemos,

(a) *Olus, columbæ, vites, vinum, quatuor Authoris poëmata Sereniſſimis Principibus data.*

Ruſtica Borboniæ faciam munuſcula proli.
C. Sed quoniam Muſis gaudent, & Apollinis artem
Nobilitant fratres, ornabis munera verſu.
T. Qui placidos tranquilla greges per paſcua ducunt,
Paſtores gracili meditentur arundine carmen:
Depulſos (*a*) ego qui caris à matribus Agnos
Indefeſſus ago; noctéſque dieſque tenellis
Invigilo gregibus; vetiti ne graminis herba,
Ne ſitis atque fames, ne ludus & ipſe petulcis
Officiat, mutas ſuſpendi pariete cannas:
Irrequietus enim mea grex tener otia turbat;
Carminaque & medios cogens abrumpere cantus;
Suadet in hac rerum cura dediſcere Muſas.
Sed vos, Damæta nuper quos judice vidi
Alternis cantare, novos depromite verſus.
C. Non animos ea percuſſit ſpes laudis, ut inter
Delicias urbis calamos admittat agreſtes
Progenies Regum: digreſſos urbe viaque
In media fratres telluris ab aggere verſu
Aggrediemur; & hæc pro tempore pauca canemus;
Quorum aliquid, venti, placidas referetis ad aures.
M. Gallia ſupremum peperit ſibi laudis honorem;
Borbonio quæruntur enim de ſanguine Reges;
Non ſecus ac felici Oleæ de ſtipite proles
Eruitur, vacuis regnet quæ junior agris.
C. Dives opum ſub utroque potens Hiſpania ſole,

(a) *Convictorum Toloſatum Primarius.*

Antiquis jam noſtram odiis inceſſere gentem
Deſine: quas dudum victricibus intulit armis
Gallia, Borbonio reparavit principe clades.
M. Nos neque ſollicitos timor anxius urat; avitam
Hoc licèt in laudem conſurgat Iberia Rege;
Ingenii fratres & ſanguinis unius, iiſdem
Auſpiciis, animiſque regent concordibus orbem.
C. Prævidet, ac geminæ ſecum dum gaudia gentes
Blanda fovent, reliquos acuens Diſcordia Reges
Concitat; & taciti paſſim jacit horrida belli
Semina, communem populis paritura ruinam.
M. Dira tubæ cùm bella canent; Hiſpania vanos
Pone metus, noſtris jam viribus aucta; nec auro
Gallia nec vitæ parcet, quæ prodiga Regum,
Heſperiis potuit ſceptris donare Philippum.
C. Viſendos Lodoix noſtris vos urbibus offert;
Extremoſque jubet Regni percurrere fines;
Acriùs amiſſo doleat ne Gallia fratre,
Borbonia ſpectans ſibi quid de ſtirpe ſuperſit.
M. Non ſatis eſt vidiſſe ſemel: Sol lumina Mundo
Dividit, & curru recreat propiore quotannis
Alternas hinc inde plagas. Nova gaudia veſtro
Sæpius hæc utinam ducat Provincia vultu.
C Hiſpanis quem fauſtus Hymen huc duxit ab oris,
Tectoſages laudarat Avus, nec deinde reviſit:
Noſque ſub extremis heu! fortè dolebimus annis
Non vidiſſe virum, quem poſtera ſecla loquentur.

M. Vidit eum ſenior Lycidas ; qualemque fuiſſe
Tunc memorat, tales animo vultuque Nepotes
Aſpicimus : virtute pares mirabimur olim
Et meritis ; ubi, deeſt quæ ſola, acceſſerit ætas.
T. Parcite, Paſtores, meditari plura : volabit
Currus ; & ex oculis cùm jam procul auferet alta
Borbonidum de gente ſatos ; vox ipſa canentum
Faucibus hærebit ; pectuſque premente dolore,
Deſtituet tacitas ſpirabilis aura cicutas.

ECLOGA SECUNDA.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

D. DE BON.

Principem ſupremæ Monſpelienſium Curiæ, cum ei Ciſtulam author dono mitteret.

MENALCAS.

MIſſa ſibi nuper Peſulo de monte Menalcas
Dona recognoſcens oculis ; animoque reponens
Verba memor, quibus ornarat ſua munera Daphnis ;
O ! mihi paupertas, inquit, jam dura ! ſuiſne
Me toties meritis impleverit ille ; nec unquam
Mutua perpetuis referatur gratia donis !
Non ita ; namque domi ſi res anguſta, voluntas

Larga mihi, Daphniſque animum non grandia curat
Dona, Deûm ſimilis, vitæ queis debitor offert
Fumoſis pia thura focis, & gratus abunde eſt.

Aſt age, quid demum referam? mihi mollior Agnus,
Aurea ſunt & Mala; mei ſed Daphnidis hortos
Vidimus excultos mirâ feliciter arte;
Quos latè Regio nunc prædicat omnis, aquarum
Fontibus irriguos & terræ munere dites.

Non Pyra, non molles Ficus, non aurea deſunt
Mala, nec apricis dulces in collibus uvæ.
Dives alit tot læta greges per paſcua Daphnis.
Illius ut qui credat opes augere, Capellas
Dans centum, totidemque ſuis cum matribus Agnos;
Donis ille ſuis gauderet ineptiùs, undæ
Quàm qui rivus inops vano cùm murmure fertur,
Et vaſto fore magna putat ſua munera Ponto.

Ars manuumque labor rebus ſuccurrat egenis;
Et tenuem lento texamus vimine ciſtam,
Quâ flores legat ille ſuos, & poma reponat.

Clara domo Phyllis, ſed clarior arte, Menalcam
Audiit hæc ſecum vano ſermone moventem;
Et miſerata virum, corbes meſſoribus, inquit,
Texe tuis: dignam ſed Daphnide fingere ciſtam,
Me labor ille manet, dulcis te propter, & ipſum
Daphnida, quem totâ paſſim regione loquuntur
Muſarum celebrem ſtudiis & Apollinis arte.

Hæc effata, domum repetit, gemmaſque latenti
Stamine, ſic conjunxit acu, varioſque colores
Miſcuit; ut calatho Phœbum, doctaſque Sorores
Addiderit: medius ſtat Apollo, chelique remiſſâ
Muſarum gaudet modulis: ſua quamque Sororum
Inſcribit facies, habituſque vel ore canentis
Aut citharâ, recto vel grandiùs ære ſonantis.
Mollibus ars oculis ſic inſidiatur, ut aure
Protinus arrectâ quæras audire ſilentis
Carmina docta chori: Phyllis gemmata Menalcæ
Texta dedit, miſitque brevi cum carmine ciſtam.
En tibi quo poſſit donari munere Daphnis:
Huic meritas tu redde vices; ego præmia longi
Magna feram, ſi te ſi nos amat ille, laboris.

Luminibus legit hæc avidis; donoque ſuperbus
Sic Phœbum & Muſas compellat voce Menalcas.
Ite meì memores & Phyllidis, ite Camœnæ:
Alter apud Daphnin, Vatum quem turba frequentat,
Vos Pindus manet; & Peſulo non monte pigebit
Aonium mutaſſe jugum: clementia cœli
Par utrique loco; paribus viget æmula laudum
Urbs ſtudiis; cui, vel formâ vel Palladis arte
Inſignes, priſcum (*a*) nomen fecere puellæ.
Ite, meus vos Daphnis amat, claroque tuetur
Præſidio: veſtros non diſſona fila movebit

(a) *Monſpelium dicitur apud priſcos authores Mons Puellarum.*

Ille choros inter, cytharam cùm tanget eburnam.

Ne tacitus vos livor edat, ſi pulchrior offert
Seſe Nympha, toro cum Daphnide vincta jugali:
Huic Dryades formæ decus, huic ceſſere Napææ
Naïadumque decens chorus; & vos cedite Muſæ
Cedite; veſtra ſatis victoria laudis habebit,
Vos quoque blandiloquo ſi non ſuperaverit ore.

At tu Phœbe pater mirabere Daphnida, leges
Cùm feret; atque brevi longas ſermone recidet
Paſtorum lites inimicaque jurgia; quorum
Arbiter unus eras, agitans per pinguia quondam
Arva greges. Rerum qui diceris eſſe (*a*) repertor,
Invidus adductam rugis ne contrahe frontem;
Si cupidâ Daphnis paſtores aure bibentes
Plura docet, quàm te quondam didicere magiſtro.

Scis, ne cuncta loquar, famâ vulgata recenti
Humanos inventa ſagax quæ Daphnis in uſus
Extudit; & magnâ nuper ſpectante (*b*) coronâ
Protulit in medium, ſpretæ novus ultor (*c*) Arachnes:

(a) *Phœbus de ſe ipſo apud Ovidium.* Inventum Medicina meum eſt, rerumque repertor Dicor.

(b) *D. B O N de Aranearum opificio, à ſe excogitato, ſermonem habuit; quem opere ipſo confirmavit, veſtem proferens novo Aranearum filo contextam, eamque Bombicinâ præſtantiorem, neque operoſiorem, ſi reperiatur cibus facilè parabilis quo alantur Araneæ.*

(c) *Arachne lanificæ artis clara Palladem ipſam in certamen vocavit: nec nimis ſuperbè, quod textura ipſa probavit. Irata Pallas Arachnem in Araneam mutavit, ut pluribus narrat Ovid. 6. Metamorphoſ.*

Hæc

Hæc utero damnata putres evolvere telas,
Hactenus inviſum clam per laquearia filum
Neverat, implicitis retinacula triſtia Muſcis.
Daphnis ad antiquas laudes revocavit Arachnem;
Juſſit & artifici profundere vellus ab alvo,
Divitibus niteant queis alta palatia telis.
Illius en ſpreto Serum jam munere (*a*) Reges
Stamine membra tegunt, oculis quod rurſus iniquis
Invida nequicquam ſpectabit ab æthere Pallas.

(*b*) Caſtaneas alio quas India miſerat orbe,
Munus inane, meus juſſit miteſcere Daphnis;
Arteque Naturam ſic emendavit, ut unâ
Quæ virides umbrâ decoraverat hactenus hortos,
Nunc veſcis etiam ſit fructibus utilis Arbor;
Caſtaneæque nuces, quas vidimus antè caducas
Sordenteſque ſolo, medicos quærantur in uſus.

Ornamenta mei vos denique muneris, ite
Candidulæ, virideſque, & tinctæ murice Gemmæ:
Daphnidis ite domum, & veſtras cognoſcite conchas,
(*c*) Mille inter maris exuvias, pretioſaque terræ
Munera, relliquias inter, monumentaque priſci

(a) *Veſtem Aranearum filo textam, recentis inventi primitias, Regi dono dedit Dominus de B O N.*

(b) *Idem Caſtaneas Indicas veſcas & medicinales fecit.*

(c) *Dominus de BON concharum genus omne, aliaque maris pretioſiſſima ſpolia collegit, de quorum mira varietate & uſu crebros in Academia Monſpelienſi ſermones habuit. Congeſſit & lapillorum marmorumque genus omne, multas Deorum ſtatuas, aliaque vetuſtatis inſignia monumenta, pretioſam inprimis numiſmatum ſeriem ex auro, argento, & ære utriuſque moduli.*

Temporis , effigies & ahenea ſigna Deorum ,
Inter & ora virûm rubris inſculpta lapillis ,
Cæſareos inter vultus , nummoſque vetuſtos ,
Æris & argenti ductos aurique metallo.
O ! ego quantus ero ! noſtri leve pignus amoris
Si quando , tot opes inter vos tenuia , Gemmæ ,
Munera conſpiciam ! quàm fortunatior ! unà
Si liceat comes ire , meumque reviſere Daphnin.

ECLOGA TERTIA.

Cum Lugduno Toloſam rediiſſet Author.

TITIRUS, MOPSUS.

T. Expectatus ades : ſed quæ mora tanta tenebat ?
M. Ignoſcenda quidem mora , Titire : miror ab illis
Avelli potuiſſe locis ; lachrymaſque rogantum
Atque preces , & qui magis hortabatur , amorem
Non audiſſe meum : nihil his felicius oris.

Nobilis effræno Rhodanus quà flumine lentum
Excipiens Ararim , violentior urget ; (*a*) & infert
In mare & in naves bellum ſocialibus undis :
Arva jacent & amœna ſitu , blandoque colentum
Ingenio : dulces huc convenere magiſtri ,

(a) *Oſtium Rhodani naufragiis infame.*

Quos Ovium conjunxit amor: cum matribus Agnos
In commune regunt; gregibus nec pinguia deſunt
Paſcua; nec tuto Lupus inſidiatur Ovili.
Atque habilis quanquàm poſſit ſibi quiſque, ſuoque
Imperitare gregi; juvenum gens tota ſenumque
Unius è nutu pendet: majoribus *(a)* ille
Imperiis natus, paſtores inter egenos
Maluit occultum traducere leniter ævum,
Quàm vel jura foro dare; vel cum fratribus arma
Militiamque ſequi: quos præcipit ille labores,
Exemplo verbiſque bonus ſolatur: agendo
Corrigit; & monitis, ac lege potentior omni
Vita Ducis mores format, culpaſque recidit.
Me veteres inter non dedignatus amicos,
Fecit ut à patriis abſens vix crederer agris:
Illius & ſtudio reliqui favêre volentes.
(b) Sylvius inprimis toto me pectore cepit.
T. Vidimus aureolos verſus, quos Sylvius olim,
Neſcio quis, dulci fertur ceciniſſe cicutâ.
M. Sylvius hic meus eſt, ſua ſunt quæ carmina laudas;
Et ſi non alias ſeſe retuliſſet ad artes,
Non alios nemorum ſaltus, non antra ſonarent,
Quàm quos ille ſuâ luſiſſet arundine verſus.
Nunc animo ſpretis agitat cæleſtia terris,

(a) *R. P. Dortan Rector Collegii Lugdunenſis.*
(b) *P. Dubois Theologiæ Profeſſor.*

Et Superûm cultus : ſed non tamen ille ſeveris
Horridus in ſtudiis dediſcit Apollinis artes ,
Sed levat interdum graviores carmine curas :
Nec ſemel æſtivos , inter Saliceta , canendo
Condidimus ſimul ambo dies ad fluminis oras.
Tertius alloquiis aderat quandoque (*a*) Menalcas ;
Amborum communis amor ; quo lætus alumno ,
Agreſtes illi calamos artemque reliqui :
His & amicitiam cecinit , vultumque latentis
Indicium mentis : defunctum nuper Alexim ,
Quem flevere pii , calamis deflevit eisdem :
Addidit & tumulo carmen , quod morte vel ipſâ ;
(Si Manes laus tangit) emi bene credat Alexis.
Hunc adeo vidi , noſtras quem fama per oras
Prædicat inſignem ſtudiis , timidumque videri :
Ille ſuâ ſeſe involvens virtute , latere
Gaudet ; & in ſylvis habitans , animoque profundum
Æthera percurrens , ac ſidera menſus olympi ,
Rimatur tacitus cæleſtia , totus in illis.
Nomen erat Coridon ; (*b*) Aquilum dixere vocantes ;
Arduæ ab æthereo vel mentis in aſtra volatu ,
Subfuſco vel ab ore : mihi communia ſecum
Omnia qui voluit , communem fecit amicum
Sylvius , inſigni cumulans ſua munera dono.

(a) P. *Bimet profeſſor Grammaticæ , qui de amicitia & phiſionomia ſcripſerat ; Eclogamque cecinerat in obitu D. de Puget.*

(b) P. *Brim Theologiæ profeſſor alter & inſignis Mathematicus,*

Egregios ambo juvenes, ſpem gentis, ad artes
Erudiunt ſacras; & munere perſtat in uno
Rivales inter concordia rara magiſtros.
Deficerent vox atque dies, tot clara virorum
Nomina ſi vellem meritaſque expromere laudes.
Non tamen inſignis pietate ſilebitur *(a)* Ægon,
Non *(b)* Lycidas fandi doctiſſimus atque canendi,
Non operum ſocius *(c)* Thyrſis, cui ſæpe relictum
Cum dederim pecus & calamos; nec ſenſit abeſſe
Me ſibi grex; alios fudit neque fiſtula cantus.
Non *(d)* Jovius, cui nil blandis de moribus ætas
Pronior abſtulerat; non grandior *(e)* Alpheſibæus,
Regibus auditas olim modulamine ſacro
Cujus adhuc cannas animabat cruda ſenectus.

(a) *Pater Cani.*
(b) P. *de Colonia.*
(c) P. *Valoris qui me abſente editionis Dictionarii mei poëtici curam in ſe ſuſceperat. Ignoſce Lector, ſi laudis ejus magis quàm modeſtiæ memor, edam quæ ille lectis hiſce carminibus gallicè reſcripſit.*

Quelques momens d'un temps, juſqu'ici fort ſterile,
Employez à revoir ce qu'eut l'antiquité
De plus choiſi de plus utile
M'ont heureuſement merité
D'avoir part aux chanſons du rival de Virgile;
Croiroit-on qu'il fût ſi facile
D'obtenir l'immortalité.

(d) P. *Joubert.*
(e) P. *Lombard concionator Regius.*

(*a*) Te quoque faginei nemoris qui cultor, ab illo
Nomen habes, iterum nec ſegniùs aure bibebam,
Quàm cùm noſter eras, & adhuc florente juventâ
Inclyta ponebas tantæ fundamina laudis.

Ingratus! ſileam, (*b*) qui me diſcedere flevit,
Daphnida: formoſos olim cum paſceret Agnos,
Molle pecus calamo recreans; quæ culmina cantu
Perſonuere ſuo, Montem dixere Placentem:
Horrida nunc triſtes inter vepreta novales
Heu colit; & pecus & calamos ſibi mœret ademptos:
Mœrent & ſocii ſolatia rapta laborum.
Is natale meum cecinit; votiſque fruetur
Ipſe ſuis, ſi fata dabunt quos voverat annos.
T. Mopſe redonatum nobis te gaudeo; ſeros
Nec reditus queror: at mores hominumque locutus
Ingenium, cæli faciem cultuſque locorum
Edoce; & alterutro dic orbe libentiùs ævum
Dein agites, Rhodanum propter, noſtrumve Garumnam.
M. Formoſos, ſcis ipſe, magis metimur amico
Candidiore dies, læto quàm ſole; locorum
Nec ſitus & facies, comitum ſed amica beatam
Ora mihi vitam faciunt; & ſive Garumnam
Sive bibam Rhodanum, non eſt quòd munera Divos

(a) P. *Dufai qui Toloſæ quadrageſimales conciones jam ter habuerat ſummo cum civium plauſu.*
(b) P. *de Montplaiſant Philoſophicis ſtudiis addictus, author Elegiæ de diſceſſu meo in convictu recitatæ.*

Uberiora rogem, quàm quæ tribuere benigni.

Non favet hæc Oleis regio; ſed amica Lyæo
Et Cereri eſt; nec habet dominâ quid clarius urbe,
Quò teneros Ovium fœtus deferre ſolebam.
Huc ab utroque mari revolubile confluit aurum;
Alternoque manus inter dum fluctuat æſtu,
Creſcit in immenſum. Nullo diſcrimine cives
Urbs habet una ſuos, totum quicumque per orbem
Mutandis patrias opulentant mercibus oras.
Hos populum ſacrata fides conjungit in unum;
Abſentumque procùl res atque negotia tractat;
Et nullo licèt ære gravis, ditiſſimus omnem
Circumeas, ſi ſcripta feras hinc nomina, terram.

Sollicitâ vel lite carent, vel ſi qua ſuborta eſt,
Dædaleis non illa viis implexa perennes
Et rixas odiumque facit; nec utrinque reciſis
Stant opibus magno jus & victoria damno.
His ego judicibus rabidas, o Titire, tantùm
Curabam lites, mihi quas exercitus hoſtis
Intonuit, quantùm formidat inerme Luporum
Fallaces pecus inſidias, ubi ſedula circùm
Invigilat vis fida Canum, pecoriſque magiſter.
T. An potuit quiſquam lites intendere Mopſo.
M. Quid non ſacra poteſt auri ſitis: ô mihi fauſtum
Diſſidium! ſi non aliter te noſſe, tuumque
Conciliare mihi potui (*a*) Broſſette, favorem;

(a) *D. de Broſſette cauſarum Patronus Lugduni.*

Quem pluris facio quàm quidquid lite ſequebar.
Hunc ego quo cauſæ me defenſore tuebar,
Juris amatores non neſcivere: Clientes
Namque ſuos non una foro facundia victrix,
Conſiliumque domi juvat; at quò latiùs orbi
Proſit; & implexas etiam poſt funera lites
Expediat, voluit victuris tradere chartis
Explicitos legum ſenſus & (*a*) gallica jura.
(*b*) Urbis & alta ſuæ, mundi rimatus ab ortu
Principia, & veterum ſcripſit monumenta laborum,
Inſigneſque viros, quibus ipſe videbitur olim
Permixtus: parat in lucem nunc edere quidquid
Nobilis implicuit verborum ambage (*c*) Bolæus.
(*d*) Concilium eſt cœtuſque virûm, quò totius urbis
Confluxere ſales, lepor, & facundia: tantos
Mene putes homines inter ſediſſe canentem?
T. Ergone ſylveſtri lætantur & oppida cantu?
M. Ipſius & gaudent imitamine ruris in urbe;
Et magno mercantur opes & munera, nobis
Quæ dat humus nullo paſſim ditiſſima cultu:
Nam memini quà lentus Arar, Rhodanuſque volentes
Ire ſimul, torquent flexos ad mœnia curſus;

(*a*) Procès verbal des Conferences tenuës par ordre du Roi pour l'examen des articles de l'Ordonnance civile & de l'Ordonnance criminelle.

(*b*) Hiſtoire abbregée ou Eloge hiſtorique de la Ville de Lyon.

(*c*) Eclairciſſemens Hiſtoriques ſur les Satires & autres œuvres de Mr. Boileau Deſpreaux.

(d) *Academia Lugdunenſis.*

Extremamque premunt utrinque anguſtiùs urbem,
Aurea conſpicuis ſurgunt (*a*) palatia tectis,
Non ignota mihi ſedes : hac dicitur unâ
Explicuiſſe domo totos ars prodiga luxus.
Rus imitata merum tamen eſt : nos (*b*) ruſtica truncis
Culmina marmoreis, illi ſua tecta columnis
Suſpendunt, ſaxiſque trabes imitantur acernas;
Imus enim pes & faſtigia ſumma columnæ
Arboream referunt ſtirpem ramoſque reciſos.
Ut noſtras vigil ante fores Canis excubat, illi
Ante ſuas Pario Catulos è marmore ponunt.

Purpureo vel flore nitet, vel cæſpite circùm
Vernat humus, denſâ tegitur vel opacior umbrâ;
Auguſtæque domûs intra penetralia pictis
Applicitam muris ſylvam mirabar, aveſque
Arboreos inter ramos conſidere juſſas,
Et procul inde gregem per paſcua læta vagantem.

Seſe aperit mediâ nudum teſtudine cælum
Arte niſi magicâ Lunæ jubar, atque refixa
Tranſtulerint illuc laquearibus aſtra ſub altis.
Ne ruris quid deſit, eo ſub fornice, noſtris
Rarior in ſylvis, latet Echo plurima; dulci
Voce laceſſitam quam vidi ſæpe canoris

(a) *Domus clariſſimi viri de la Fraſſe.*

(b) *Primam ædificandi rationem, quam natura ipſa edocuit recens hominum genus in ſylvis degentium, ars imitando perficit adornavitque; ut obſervarunt pluribuſque demonſtrant Architecturæ periti.*

Se miſcere choris, numerumque augere canentum.
Sylveſtri recinunt Galatæam & Phyllida verſu;
Fiſtulaque urbanos paſtoria dicit amores.

Rivus abeſt quem Nympha ſui ſtudioſa decoris
Conſulat; at puri glacies pellucida rivi,
Neſcio queis æſtum contra ſolidata venenis,
Hinc illinc vultuſque refert nutuſque loquentum.

Has ego cum colerem Domini prædivitis ædes
(Fingere quale ſolent, cùm formoſiſſima ſenſus
Somnia deludunt) mihi rus habitare videbar:
Oblitam ſedenim præſens me Fraſſius urbem
Moribus urbanis cultoque lepore monebat.

Nunc quæ ſollicitant me plurima, fare viciſſim
Titire: rumoris noſtras afflavit ad aures
Neſcio quid, tacito pungit quod corda dolore.
T. Hæc alias: multi res eſt ſermonis; & alto
Flammiferos jam Phœbus Equos in gurgite merſit.

ECLOGA QUARTA.

AD D. DE CAMPISTRON.

ARGUMENTUM.

Emerat ille prædium, cui nomen eſt mons Paphius Kariaco fundo ſuo vicinum. Cùm in adornanda Kariaca villa totus eſſet, Paphiumque montem negligeret prorſus; pro prædio illo ſtudiis & receſſui opportuno ſcripſit ad illum cariſſimus Frater Lud. Campiſtron è Societate Jeſu. Hanc author litteris illius adjunxit Eclogam.

AMYNTAS.

KÆriacæ prope tecta domûs cum nuper Amynta,
Errantes egiſſet Oves; jam ſole tepenti
Decedens campis, Paphiani montis opacum
Ingreditur nemus; atque Ovium ſecurus, in herba
Dum jacet, & molles proflat de pectore ſomnos,
Viſa ſibi coram mœſtos attollere vultus
Nympha loci, non qualis erat cùm mater Amorum
Ipſa Venus juvenem quondam cultuque ſuperbam
Communi ſecum Paphiæ de nomine dixit.
Ac prior informes, inquit, miraris Amynta
Fœdarit, quæ cauſa genas? en aſpice luctûs
Argumenta mei? viden ut propioribus agris
Creverit in noſtram rivalis Nympha ruinam.
Has ut ego capiti turres conſurgere vidi,

Ornatoſque ſinus halare recentibus uſquè
Floribus, & miro totam ſplendeſcere cultu;
Huic fateor volui demens me tradere, tantos
Kæriacæ faſtus Nymphæ qui dives alebat:
Speravi decus inde meum famamque tueri,
Illius & magnum de nomine condere nomen.
O ſpes vana! meos en ut faſtidit honores,
Meque fugit, paciturque ſitu ſordere relictam;
Et ſi quæ ſuperant populatæ priſtina formæ
Adjumenta, rapit; Nymphamque, quod acriùs urit,
Kæriacam ſpoliis ſtudioſior ornat ademptis.
Nonne fuit ſatiùs domino ſervire priori.

Hæc ubi dicta, Deam conſolaturus Amyntas,
Cæleſtum quoque pectus, ait, ſi noſter adurit
Livor, & humanæ tangunt contagia labis;
Difficilis quanquam morbi medicina, docebo
Quas animum nuper ſolers Amaryllis ad artes
Verterit; inſtabiles ad ſe nova Phyllis amores
Cùm traheret, totis caneretur & unica ſylvis.
Continuò rimata novos Amaryllis honores,
Corde tegit tacito vulnus; faciemque modeſtam
Induit, auſteros mores imitata; choreaſque
Et riſus, facileſque jocos, ſtudiumque placendi
Reſpuit; atque leves, quos non revocaſſet, Amores
Ipſa fugans, alio quærit præconia faſtu.

Tuque adeo vanos aude contemnere cultus;
Majeſtate places felicique indole, fucum

Sperne

Sperne volens, luxumque tuæ permitte ſodali:
Jamque ſalutantum refluos exoſa tumultus,
Nympharum ſectare choros; nemorumque receſſu
Pieriiſque modis gaudens (uberrima laudum
Unde ſeges) ſociam te dulcibus inſere Muſis:
Namque, quod invideat rivalis Nympha, feremus
Nomen ad aſtra tuum; neque fons Heliconius alter
Dein erit, ex iſto quàm qui puriſſimus humor
Colle fluit: non alter erit nobis quoque Pindus,
Quàm tuus hic ſylvis qui mons veſtitus in auras
Erigitur: ſuus & monti non deerit Apollo;
Mox ubi fraterni monitus dulcedine cantûs
Ipſe Capiſtronides ſtudia evigilata reſumet;
Tiridatemque ſuum tragico devolvet ab ore,
Quem poſt Andromachen Cinnamque Lutetia gaudens
Audiit, & ſcenis orat plauſura reponi.
Dixit & aſſenſu Nymphæ lætatus Amyntas,
Fallaces rupit ſomnos; & lumina tergens,
Oravit Superos ut ſomnia pondus haberent.

ECLOGA QUINTA.

Poſt aſſignatam in Occitaniæ Comitiis Aſtronomo penſionem annuam, quam Authori dandam cenſuerant nonnulli Præſules.

DAPHNIS LYCIDAS.

D. VErane prædixi, Lycida, quòd fiſtula ſurdis
Non caneret tua; nec ſterilem tibi carmen honorem,

Sed magnas quoque ferret opes : quàm proſpera riſit
Naſcenti fortuna tibi ! qui lentus in umbra
Verſibus aſſequeris quod nos ſudore paramus.
L. Exiguæ ſunt, Daphni, meo nec carmine partæ,
Quas miraris opes ; labor improbus extudit illas :
Paſtoralis enim jam non auditur avena
Horribiles inter lituos, qui triſtia mundo
Bella canunt : noſtris quondam promiſſa Camœnis
Ampliùs haud emitur verſu, ſed ſanguine merces.
D. Audieram populi Patres de more vocatos
Præmia magna quidem, ſed quæ majora virorum
Majeſtas faceret, ſtudii irritamen agreſtis,
Propoſuiſſe ; tibi quæ debita dona putabam.
L. Speravi fateor ; ſed ſpes eluſit hiantem :
Aurea dona tulit Mopſus, cui ſidera parent
Utiliùs quàm rura mihi : nam prædia verſu
Dum celebro, terraſque humilis conſector inertes,
Arva gregeſque docens avido parere colono ;
Ille per æthereas ſublimis obambulat arces ;
Et maculas in ſole novas, nova ſidera cælo
Monſtrat, opes populo magnas, & grandia vitæ
Auxilia ! hoc Aries ; hoc lucida Capra magiſtro
Cæleſtes novere plagas : temone Bootem,
(Neſcio quo cæli ſulcantem jugera fructu)
Donat ; & æthereos agit ignea plauſtra per orbes.
D. Utiliora vagis deportans Mopſus ab aſtris,
Fata legit ſtellis inſcripta, viroſque futurum

Præmonet, ac fauſto dubias beat omine mentes,
Quæ via divitiis magis opportuna parandis.
L. Et ſua ſunt, nec certa minùs, præſagia Vati.
Poſt Oleas*, Brumæ ſcelus exitiale, peremptas,
Inſpecto cladem Mopſus ſolatur olympo:
Augurio meliore tuus mihi, pectoris index,
Lamonide inſpicitur vultus; rerumque potenti
Bercherio, finem jubeo ſperare malorum.
D. Solis ament Lunæque vias & ſidera noſſe,
Ingenio quorum in terris res invia nulla eſt:
Muneribus cumulent Mopſum, queis dignior alter
Nullus erat: ſed te miris quem laudibus ornant,
Tene indonatum potuere relinquere, cujus
Verſibus oblectant ſeſe: nam teſte Menalca
Urbs canit agreſti quidquid modularis avenâ.
L. Dixerat & Coridon: ego ſtultè credulus illi
Gaudebam tacitus mecum, magnumque putabam
Præmia ſylveſtri decus allatura Camœnæ.
Excidit illa mei ſpes nominis; atque Poëtâ
Deſpecto, placuiſſe parum quoque carmina novi.
D. Parce tamen, Lycida, deſpectos credere verſus:
Sunt in honore Roſæ, neglecta roſaria quanquam
Sæpe ſolo videas nullo ſordeſcere cultu.

Patria vileſcunt nobis bona: pluris habemus
Quæque loco diſtant & tempore longiùs abſunt.
Fœda peregrino ſi bellua venit ab orbe,
Viſendi ſtudio totâ decurritur urbe;

Et clarum meritis civem vix noſcere curant.

Si qua fides, emitur magni trans æquora, noſtris
Eruitur paſſim quæ Salvia craſſa ſepulchris:
Quærimus & multo nos hinc procul ære viciſſim
Deſpectas illic gregibus paſcentibus herbas.

Titirus in ſylvis tacitos inglorius annos
Egerat; & plures inter nunc excita pagos
Bella vides, tanto dum quiſque ſuperbit alumno:
Carmina nunc adeo quæruntur, cortice quondam
Quæ vel in arboreo, vel per ſalebroſa locorum
Semirutis vivus ſaxis inſcripta reliquit:
Illius eſt hæc fama tuæ prænuntia laudis.
Exemplo, Lycida, triſtem ſolare repulſam:
Ætas ipſa feret laudem; tua quamque negarunt
Tempora, carminibus famam ventura rependent.
L. Scilicet humanas curem poſt funera laudes!
D. Fama quidem ſtygias ultra non permeat undas;
Sed vivus fruitur venturo nomine Vates.
L. Non ea ſpes animum paſcit; nec laudis amore,
Ipſius at verſûs tacitâ dulcedine ducor.
Qualiacumque placent mihi carmina; gaudet & Ægon
Ipſe ſuis, læſâ Pagus quæ reſpuit aure.
Quid tum ſi noſtrûm ſibi plaudat uterque; ſuiſque
Contentus vivat calamis, & tædia fallat?
Hæc potior merces, hæc præmia certa laborum.

Deſperata gravat ! precibus , Rex , annue juſtis ;
Et qui digna cani jam nunc facis, incipe Muſas
Præſidio munire : cadit cum Regibus ipſis
Gloria , ſit totum quanquam vulgata per orbem ;
Poſtera Mæonidæ ſi non in ſecula mittant.

PRO EADEM BIBLIOTHECA AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM DE FLEURY,

Cum ei librum de Apibus dedicaret author.

INCLYTE Romano fulges qui murice Præſul ,
Nobilitaſque tuis clarum virtutibus oſtrum ;
Si tibi fauſta placent æqui moderamina Regni ,
Sacra Fides , amor in Regem , reverentia legum ,
Gens operum ſtudioſa , ſagax & ſtrenua ; noſtras
Præſul amabis Apes , quas Conditor orbis in uſus ;
Sed magis ad populi Regumque exempla creavit,
Aſpice tranquillos ut certâ lege labores
Exercent , mitique dies ſub Principe condunt :
Illius ut vitæ plebs excubat , ille ſaluti
Plebis ; acerba vocent ſeu bella ; domive regenda

Quarum viſa nimis metuenda potentia, vultûs
Illecebris ſi par aderat facundia linguæ.
Nobilibus ſatis eſt illas hærere Minervæ
Alterius ſtudiis, & acu vel pingere, filum
Vel digitis, non mollem animo quoque ducere verſum.
M. Quam loquor, ingenuas Amaryllis junior artes
Vel didicit per ſe ipſa, virûm nihil indiga curæ,
Vel teneram fandi doctiſſima Muſa puellam
Edocuit: notæ Muſis Amaryllidis ædes:
Non alio magis hoſpitio lætantur; avoſque
Et proavos coluere Deæ; Pindoque relicto
Nunc quoque Lamonios gaudent habitare penates.
Ingenium & mores Amaryllidis una Sororum
Demirata magis, quin virgine, dixit, in illa
Fœmineam adſtruimus laudem; Pindique potentes,
Virgineos hauſtus ſacro de fonte rigamus;
Ne minùs apta choris videatur fœmina noſtris.
Hæc effata, novas Amaryllida vertit ad artes;
Pieriique jugi monſtrans iter, inſerit illam
Vatum conciliis; ut per commercia linguæ
Nomen Apollineo faciat ſibi nobile verſu.
Non latuere diu cultæ data ſemina menti:
Sed veluti ſtupet attonitus novitate Colonus,
Spectat ubi pulchrum terris emergere florem,
Quem non ipſe manu coluit; ſic inclyta virgo
Ingenii cùm prima ſui tentamina fecit,
Mirabatur Avus, demirabantur & ipſi

Cuſtodes Ovium : minùs hæc miracula quanquam
Lamonia moveant in gente, domoque Bavillea;
Obſtupuere tamen Muſarum arcana puellæ
Credita, & ingenium teneris velocius annis.
T. Virginis inſolitos non invideamus honores:
Addet enim noſtris decus artibus : ecce juventus
Jam nunc omnis amat calamos inflare ; ſuoque
Jam ſoror exemplo ſtimulat par nobile fratrum.
Ipſe nec erubuit, poſitâ gravitate, canenti
(*a*) Nuper avus cum nepte ſuam conjungere vocem,
Fœtoque imperii rebus de pectore verſus
Concinere; ut triſti morbo recreatus haberet
(Quas fuerat noſtrum Superis perſolvere) grates.
Vivit enim nobis plus quàm ſibi ; fractaque bellis
Pendet ab unius Provincia tota ſalute.

Vatibus ergo novum decus addita virgo, Camœnas
Semper ama ; neque te noſtri faſtidia ruris
Accipiant: nam ſive vagi te fluminis oræ,
Seu nemorum tenebræ, vel florida prata tenebunt;
Purpureos paſſim tibi flores ubere fundet
Terra ſinu; pedibuſque tuis calcata reſurget
Mollior herba gregi; blando tibi murmure rivus
Obſtrepet; & pennis Zephirus mulcebit odoris:
Teque adeo viſâ, veteres oblita dolores,
Ora modis jam non querulis Philomela reſolvet;

(a) *Lamonius recuperatâ valetudine Latinis verſibus Deo gratias egit.*

Sed tenui lætos fundet de gutture cantus.
Nos & avum toties ſylveſtri carmine Vates
Qui canimus, junctâ te laude feremus ad aſtra
Et celebrem ſtudiis & avito ſanguine dignam.

ECLOGA SEPTIMA.

MOPSUS, THYRSIS.

M. TUne meæ quondam ſpes & ſolatia vitæ
Thyrſis ades? quæ cauſa viæ? num tu quoque rerum
Inſcius, his mecum ſperas conſiſtere terris?
T. Audieram creviſſe gregem, redeuntibus ultro
Ad veteres caulas Ovibus, quas mollior olim
Traxerat herba procul per devia rura vagantes:
Veſtrorum ſocius veni teſtiſque laborum.
M. Auxilium, quo tempus eget, gens arbitra rerum
Abnegat; atque gregem diris infecta venenis,
Unde revulſus erat, rurſum per paſcua ducit.
T. O pecus infelix ſi tempus in omne magiſtros
Amiſit veteres, queis nota ſalubrior herba,
Quos neque vi ſuperet, vafro neque luſerit aſtu,
Seu clam circumeat Lupus inſidiator, ovinâ
Diſſimulans ſe pelle, palam ſeu dente minetur.
M. Quos memoras, ô Thyrſi, Lupi (genus antè peroſum)
His dominantur agris; quem non ſperare dolorem

Debueras: unum dominus gregis alta domorum
Intra ſepta fovet, qui pro Cane limina ſervans,
Invigilat ſecum, cuſtos inſignis, ovili.
O tibi ſi referam clauſas cum matribus Agnas
Ut duris regit imperiis; undæque cibique
Expertes ut habet, cute pinguior ipſe nitenti!
Infrendens oculis ut nos deterret iniquis,
Si quem ſepoſiti gregis interdicta ſubire
Clauſtra videt, manibuſque dapes removere nocentes.
T. Extremos hominum neque vos hinc ibitis Indos;
Quò ſocii patriam fortes contemnere terram,
Quò res ipſa vocat, fortunatuſque laborum
Exitus: incultos quod enim pecus antè per agros
Errabat ſine lege, feros deponere mores
Incipit; hoſtiles illâ regione locorum
Nec timet inſidias: nam ſi Lupus acrior illuc
Deveniat; famis impatiens cælique flagrantis,
Mox redit; atque alio ſtimulatos orbe furores
Huc referens, rabidis ululatibus omnia complet.
M. Quod nos (Thyrſi) mones alias inquirere terras,
Illud id eſt totâ dudum quod mente requirunt;
Sed ſtat amore gregis durare pericula contra:
Paſtorum vel muta Lupos præſentia terret;
Atque eadem ſolatur Oves, Agnoſque tenellos,
Quos unà querulis noſtras balatibus audis
Et fremere ad caulas, veteremque repoſcere curam.
T. Sed quæ cauſa novas vobis intendere lites?

M. Una mali labes gregis invigilaſſe ſaluti,
Illius in triſtem nec conjuraſſe ruinam:
Ecce docentur Oves priſcas contemnere caulas,
Et campis errare novis; ubi paſcua carpent
Allatura necem, ſpretâ niſi ſegrege turmâ
Paſtorum audierint vocem, & reddantur ovili.
Pabula nata gregis vitam defendere, duri
Vel prohibent, rarove jubent contingere morſu.
Ipſos crediderim tentant quoque claudere fontes,
Queis pecus immiſſum contractâ ſorde lavatur;
Et ſitis & fervens venis extinguitur ardor.
Sunt & Oves, aiunt, inimico Numine natæ,
Quas Deus ipſe neci vel ab ipſo deſtinat ortu.
T. Perderet ille volens quas vitæ prodigus olim
Incolumes ſervavit Oves! infixa ſub alto
Corde manent moriens quæ verba noviſſima dixit,
Noſtrî ſi quis amor, ſi qua mihi cura placendi,
Et ſtudia & noſtro curas impendat ovili.
Ipſe vagas olim totos, ſcis Mopſe, per agros
Ut quærebat Oves: loca per deſerta, per altos
Errabunda ſequens pecoris veſtigia montes,
Ibat inexpletùm clamans; & ſi qua vocanti
Reſponderet Ovis, quà vox audita, volabat;
Et blando ſubiens oneri, cervice ferebat,
Exultanſque animis paſſim magalia circum
Oſtentabat ovans ſervatam à morte Bidentem,
Cujus erat gaudere magis cuſtode recepto.

M. Præcepti memores, ea nos exempla ſecuti,
Nos humeris ſoliti feſſas geſtare Bidentes,
Dicimur uſque malo nimis indulgere favori,
Nec veteres ritus & priſtina ſecula noſſe.
  Scilicet inſiſtunt illi veſtigia patrum,
Molliter in tenero recubant qui gramine, duraſque
Ire vias hortantur Oves; & in alta propellunt
Culmina; dum molles captant in vallibus umbras.
Voce minas vultuque gerunt; nec blanda loquuntur,
Lac niſi, vel dextrâ rapiendum vellus avarâ:
Nam tunc blanditias adhibent; ſiccanda tenellæ
Prolis ut immemores ultro dent ubera matres,
Et pretioſa ſibi patiantur vellera demi.
Sed quid ego hæc ingrata loquor; nec ad hoſpita duco
Tecta fatigatum: noſtros, en ecce, penates
Ingredere; & patiens quanquàm cupiduſque laborum,
Nobiſcum poſitis aude requieſcere curis:
Non inhonora quies operum, quæ prona voluntas
Amplectatur amans; niſi vis humana reſiſtat.
  Tu tamen hos inter motus & bella, futuri
Pone metus, ô Thyrſi: gregis ſi quando magiſter
Conſiliis regat ipſe ſuis; atque inſita menti
Judicia, erroreſque malos, odiumque reponat;
Atque Lupos ſciat à Canibus diſtinguere, toto
Nullus erit nobis jucundior angulus orbe.
Murmure ventoſus non infremit uſque minaci
Pontus; ubi ſylvas flabris vexavit iniquis

Conſidit Boreas; hyemem ver excipit; herba,
Viſa periſſe gelu, naſcente repullulat anno.

ECLOGA OCTAVA.

VER.

TITIRUS MENALCAS.

T. SOllicita quid triſte moves ſub fronte Menalca?
Cur loca ſola petis? nec quos formoſior annus
Invitat, nos inter amas depromere cantus?
Hîc viridi, rivum propter, ſedeamus in herba;
Atque renaſcentis modulemur arundine Veris
Delicias: quod enim terras cælumque ſerenat,
Ver animo triſtes poterit depellere nubes.
M. Hoc neque Veris opus nec carminis: unus Amyntas
Si redeat, lætos poterit mihi reddere ſoles.
Parebo tamen; & quales fas edere verſus
Vere ſuper, gracili tecum meditabor avenâ.
T. Ridet humus Veris gratâ vice: pulchrior almâ
Luce micat, neque tam præceps Sol claudit olympum.
Gemmea prata virent: teneris ſe frondibus arbor
Induit: Alituum fervet concentus in auris,
Herboſo grex ludit agro: communia mundi
Gaudia flebilibus ſcelus eſt fœdare querelis.
M. Purpurei redeunt flores, & gramina campis,
Arboribuſque comæ: mihi Ver non incipit uni:
Nec reduci cum Sole, redux affulget Amyntas:
Hoc abſente, mihi facies triſtiſſima rerum

Semper

Semper erit ; tepido frigeſcent omnia cælo ;
Et producta dies luctus producet amaros.
T. Ponit Hyems; gravidoque novas de palmite gemmas
Vitis agit : quid adhuc flores dubitatis odoras
Pandere Veris opes ? Zephiros audite vocantes ;
Purpureoſque ſinus tunicis evolvite laxis.
M. Explicuit quæ manè comas , Roſa veſpere languet ;
Et pro flore rigens ſpinis rubus horret acutis :
Humanæ fugitiva volant ſic gaudia vitæ ;
Et ſpinas læſo pariter ſub corde relinquunt.
T. Non alios habuere dies primordia mundi ,
Quàm quos Vere novo Sol aureus explicat : orbis
Hæc facies naſcentis erat ; par nubibus actis
Temperies , ſudique fuit clementia cæli ;
Par habitus terræ ; prima ſic meſſis in herba
Luxuriabat agris : oculorum gaudia , flores
Humida non alio pingebant prata colore.
M. Inter odoratos flores ; quæ gutture cantus
Exercetis Aves , Zephiro laxata tepenti
Terra renaſcentis vos fallit imagine mundi :
Nulla parabantur vobis tunc vincula ; nullas
Aurea ſecla virûm fraudes & crimina norant.
Omnia nunc ſunt plena metûs : fallacibus auceps
Vos ſequitur laqueis , nos inſidioſa voluptas.
T. Læta per arva placet rivum ſpectare fluentem ,
Seu placidas molitur aquas , & imagine fidâ
Exhibet humanos vultus ; per prona viarum

EPISTOLÆ.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM DOMINUM DE LA BERCHERE, ARCHIEPISCOPUM NARBONENSEM. è gravi morbo convaleſcentem.

BIBLIOTHECÆ SUÆ EPISTOLA.

HInc procul in domina dum te mora longior urbe
Detinet abſentem ; vacuis deſerta dolemus
Turba locis ; & ut afflictos triſtiſſima quæque
Incurſat ſpecies animos ; fera Mortis imago
Sollicitat nos, jura trucis qui vicimus Orci.
Nec vano terrore quatit Mors nuper iniquum
Auſa ſcelus. Nobis inconſolabile vulnus,
At tibi dulce, polo terras mutare volenti,
Pene tulit : ſtantem ante fores manifeſta Deorum
Vis repulit ; ſed quæ te ſoſpite Numina templis
Conſuluere ſuis, demum tibi debita reddent
Præmia, & ad cæli ſplendentia tecta vocabunt.
Ergo, quam populi mœſto ſub pectore verſant ;
Nos quoque cura premit, cui nos poſt fata relinques.

Sed magnas quoque ferret opes : quàm proſpera riſit
Naſcenti fortuna tibi ! qui lentus in umbra
Verſibus aſſequeris quod nos ſudore paramus.
L. Exiguæ ſunt, Daphni, meo nec carmine partæ,
Quas miraris opes ; labor improbus extudit illas :
Paſtoralis enim jam non auditur avena
Horribiles inter lituos, qui triſtia mundo
Bella canunt ; noſtris quondam promiſſa Camœnis
Ampliùs haud emitur verſu, ſed ſanguine merces.
D. Audieram populi Patres de more vocatos
Præmia magna quidem, ſed quæ majora virorum
Majeſtas faceret, ſtudii irritamen agreſtis,
Propoſuiſſe ; tibi quæ debita dona putabam.
L. Speravi fateor ; ſed ſpes eluſit hiantem :
Aurea dona tulit Mopſus, cui ſidera parent
Utiliùs quàm rura mihi : nam prædia verſu
Dum celebro, terraſque humilis ſonſector inertes,
Arva gregeſque docens avido parere colono ;
Ille per æthereas ſublimis obambulat arces ;
Et maculas in ſole novas, nova ſidera cælo
Monſtrat, opes populo magnas, & grandia vitæ
Auxilia ! hoc Aries ; hoc lucida Capra magiſtro
Cæleſtes novere plagas : temone Bootem,
(Neſcio quo cæli ſulcantem jugera fructu)
Donat ; & æthereos agit ignea plauſtra per orbes.
D. Utiliora vagis deportans Mopſus ab aſtris,
Fata legit ſtellis inſcripta, viroſque futurum

Præmonet, ac fauſto dubias beat omine mentes,
Quæ via divitiis magis opportuna parandis.
L. Et ſua ſunt, nec certa minùs, præſagia Vati.
Poſt Oleas*, Brumæ ſcelus exitiale, peremptas,
Inſpecto cladem Mopſus ſolatur olympo:
Augurio meliore tuus mihi, pectoris index,
Lamonide inſpicitur vultus; rerumque potenti
Bercherio, finem jubeo ſperare malorum.
D. Solis ament Lunæque vias & ſidera noſſe,
Ingenio quorum in terris res invia nulla eſt:
Muneribus cumulent Mopſum, queis dignior alter
Nullus erat: ſed te miris quem laudibus ornant,
Tene indonatum potuere relinquere, cujus
Verſibus oblectant ſeſe: nam teſte Menalca
Urbs canit agreſti quidquid modularis avenâ.
L. Dixerat & Coridon: ego ſtultè credulus illi
Gaudebam tacitus mecum, magnumque putabam
Præmia ſylveſtri decus allatura Camœnæ.
Excidit illa mei ſpes nominis; atque Poëtâ
Deſpecto, placuiſſe parum quoque carmina novi.
D. Parce tamen, Lycida, deſpectos credere verſus:
Sunt in honore Roſæ, neglecta roſaria quanquam
Sæpe ſolo videas nullo ſordeſcere cultu.

Patria vileſcunt nobis bona: pluris habemus
Quæque loco diſtant & tempore longiùs abſunt.
Fœda peregrino ſi bellua venit ab orbe,
Viſendi ſtudio totâ decurritur urbe;

Ingeniumque virûm: ſtudiis quos Græcia florens
Romaque, quos ſero quoque protulit æmula partu
Gallia, quos orbis reliquus, quos cuncta tulerunt
Secla repertores rerum, fandique magiſtros,
Hos tectis voluiſti omnes habitare ſub unis.
Proh! quantum genti decus auxiliumque peritæ!
Qualia ſufficies bellantibus arma; rebelles
Queis animoſa phalanx pro te conſurgat in hoſtes;
Cùm nequeas artes uſumque relinquere belli;
Hæc tua tutandis armamentaria templis
Cede viris, quorum rebus tua gratia, Præſul,
Nunquam pigra fuit: quotquot te dante tulere,
Dulciùs hoc uno cumulabis munera dono:
Ad ſeros æterna tuî monumenta Nepotes
Tranſmittes; &, quod mavis, Patriæque Deoque
Egregiam perges operam navare; Toloſæ
(Quod petimus) ſi nos in publica commoda dones;
Et quam vivus amas ſtudiis formare juventam,
Hac ope divinas, etiam poſt funus, ad artes
Erudias, cælique vias & ſidera monſtres.

Fortunatiſſimæ huic Epiſtolæ debetur Bibliotheca quam Illuſtriſſimus D. de la Berchere Narbonenſis Archiepiſcopus dedit Collegio Toloſano Societatis Jeſu.

EADEM BIBLIOTHECA DATA Collegio Toloſano Societatis Jeſu, & poſt obitum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi D. DE LA BERCHERE *Narbone in Arcis detenta.*

REGI.

BORBONIDUM ſate Rex alto de ſanguine, Regni
Spes & deliciæ, quo ſceptra tenente beati
Jam nec avum Galli neque patrem atavumque requirunt.
Imperii quâ luce tui molitus habenas,
Cœpiſti dare jura viris; ne triſtia feſtam
Polluerent lamenta diem, fatalia ſolvens
Vincla reis, fauſtæ geminaſti gaudia lucis.
(a) Nos & amor tuus, & nullius conſcia culpæ
Turba, latebroſo retinemur carcere, paſſim
Feſtivo dùm cuncta ſonant te Principe plauſu.
Cùm generi data, ſed meritis mage debita, nuper
Sceptra manu caperes, teneris maturior annis;
Nos quoque juſſiſſes ad publica gaudia lætas
Oſtentare palam frontes, vincliſque reſolvi;
Si tibi (cui miſeros ſatis eſt cognoſcere, finem
Ærumnis bonus ut ſtatuas) ſors nota fuiſſet,

(a) *Bibliotheca ipſa Regem alloquitur.*

Quæ duo nos jam luſtra nigro ſub fornice clauſos
Detinet; obſeſſam quàm longo tempore Trojam
Atridæ tenuit Ducis implacabilis ira.
Muta ſed & fandi ſumus inſcia turba, diſertos
Qui facimus nos quotquot amant; (*a*) Vaſcoque
Poëta,
Votorum fuerat qui quondam interpres, in uſus
Grande tuos (*b*) opus approperans; longique laboris
Juſſa ſequens, hunc ante diem ſe poſſe negavit
Ad ſolium regale preces deferre rogantum.

Illius auxilium non caſſa vocavimus olim
Lugentes in vota, ſacri cùm Præſulis annos
Bercherii pronos in fata noviſſima, mœſti
Vidimus; &, magni ſolatia tenuia luctûs,
Permutare lares placuit, mittique Toloſam.
Exoratus enim felici carmine Præſul,
Nec, cùm deſpiceret mortalia cætera, noſtrî
Immemor, ipſum etiam ſub funus, habebitis inquit
Quos à me dominos voluiſtis habere ſecundos.
Quid prodeſt valuiſſe preces, ſi triſtibus arcis
Claudimur, illuvie, Tineiſque, ſituque pereſi.

Unus es, ô Regum Rex optime, jurgia finem
Non habitura, potes verbis qui ſolvere paucis.
Proh! quis in Aonio dabitur tibi culmine plauſus!
Gaudia quanta viris, quos dudum copia noſtrî

(a) *Jac. Vaniere è Societate Jeſu author ſuperioris Epiſtolæ.*
(b) *Dictionarium Gallico latinum quod Regis juſſu elaborabat.*

Deſperata gravat! precibus, Rex, annue juſtis;
Et qui digna cani jam nunc facis, incipe Muſas
Præſidio munire: cadit cum Regibus ipſis
Gloria, ſit totum quanquam vulgata per orbem;
Poſtera Mæonidæ ſi non in ſecula mittant.

PRO EADEM BIBLIOTHECA AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM DE FLEURY,

Cum ei librum de Apibus dedicaret author.

INCLYTE Romano fulges qui murice Præſul,
Nobilitaſque tuis clarum virtutibus oſtrum;
Si tibi fauſta placent æqui moderamina Regni,
Sacra Fides, amor in Regem, reverentia legum,
Gens operum ſtudioſa, ſagax & ſtrenua; noſtras
Præſul amabis Apes, quas Conditor orbis in uſus;
Sed magis ad populi Regumque exempla creavit,
Aſpice tranquillos ut certâ lege labores
Exercent, mitique dies ſub Principe condunt:
Illius ut vitæ plebs excubat, ille ſaluti
Plebis; acerba vocent ſeu bella; domive regenda.

Sint opera, aut Hyemi primo jam Vere cavendum.
Felices illâ Gallos in imagine, rerum
Te duce, cognoſces: nullis æraria Fucis
Expilanda patent: in publica commoda cedit
Quidquid opum confert populus; nec bella laceſſit,
Nec metuit Gens Marte potens: qui flectit habenas
Imperii, docilem te Præceptore juventam
Sic coluit Princeps, ut quo vix tempore norunt
Imperitare ſuis alii; maturior annis
Arbiter Europæ ſedeat; belloque tumente
Suadeat armatos pacem componere Reges.

O! ſi dum releges per florea rura vagantum
Agmen Apum, ſubeat mentem ſtudioſa juventus
Pervolitans libros & mella Poëtica condens;
Te noſtrî miſereſcet; Apes ut Vere recenti
Si videas blandâ ſubitò ſpe meſſis opimæ
Deſtitui, floreſque ſibi quos aura Favonî
Mollior ediderat, Boreæ ſubeuntis acerbo
Flamine vel perdi penitus, clauſoſve teneri.
Grex miſerandus Apum, quibus irreparabile meſſis
Tempus abit, ſtrepitus & inania murmura miſcet;
Dum ſibi Veris opes Sol luce recludat amicâ.

Hæc eadem nos fata premunt: ſcis, optime Præſul,
Millia Bercherius ſelecta volumina dono
Quot dederit: nobis hæc interdicta librorum
Copia; quos dudum clauſos fatalibus arcis
Vis inimica tenet: Lodoïco Judice cauſam

Vicimus: huic tantùm placidas fac commodet aures.
Ecce vides per acerba ſequor (*a*) vadimonia (*b*) verſu
Quæ facili tuleram ditiſſima munera Vates.
Litibus implicitum Muſis me redde; nec ultra
Indigno patiare ſitu putreſcere, rodi
Vel Tineis monumenta, tui (dum vita manebat)
Ultima quæ mittent in ſecula nomen amici;
Noſtraque ſit tandem nobis donata, novemque
Decertata (nefas) jam Bibliotheca per annos;
Teque favente meæ rurſum ſit debita Muſæ.

(a) *Procurator ad hanc Bibliothecæ cauſam conſtitutus à R. P. Generali Soc. Jeſu.*
(b) *Superiori epiſtolâ Bibliotheca ad illuſtriſſimum. D. de la Berchere.*

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM GABRIELEM DE LAGORRE'E, IN SUPREMA TOLOSATUM CURIA PRÆSIDEM.

Cum ei carmen de Columbis dedicaret Author.

LAGORRÆE novum Themidis decus, inclyta Pindi
Gloria, quo Muſæ, quo gaudent Præſide leges;
In lucem vis ergo meas prodire Columbas,
Atque renitentes dubio ſe credere cælo.

(*a*) Audaces nidis nuper volucre relictis,
Ante diem, prope tecta, breves celerare volatus:
Invalidâ ſedenim pennâ juvenilibus auſis
Exciderant: ſortem miſerans in clauſtra vocavi,
Rura reviſuras nunquam; niſi fortè vel ætas,
Vel major firmas daret experientia vires.

Ecquid inexpertis per tot diſcrimina pennis
Inſuetas tentare vias, æquiſſime Judex,
Præcipis? Ecce vides, roſtris mordacibus adſtant
Accipitres Milvique, immania fata minantes;
Attamen ire jubes, tutamque relinquere ſedem.

Ite ergo carùm domino pecus, ite Volucres
Dumque Toloſanam circumvolitabitis urbem,
Si quis erit telis qui vos petat invidus, ite
Quò miſeros vocat auxilii ſpes certa: Clientum
Turba docebit iter: vos Lagorræus amico
Excipiet profugas, mitiſſimus hoſpes, aſylo:
Sin urbe in mediâ rerum ſub mole laboret,
Nec pretioſa velit dare vilibus otia nugis,
Ite, Toloſanæ quà proximus imminet urbi
Collis aquæ ſcatebris opulentus, & ubere glebæ.
Hîc domus eſt, decore & cultu viſenda ſuperbo,
Contiguis ridens hortis ac fontibus, agro
Dives, amœna ſitu, ſed amœnior hoſpite, rerum
Grandia ſi quando deponens pondera, ſeſe

(a) *Recitatum publicè carmen de columbis in ſolenni ſtudiorum inſtauratione.*

Muſarum

Muſarum alloquio, & fidis permittit amicis:
Hic vobis locus: hic læto vos lumine lætas
Excipiet dominus, nec dedignabitur ultro
Blandiri, & veſtrî curam committere Nato.

Da ſtudiis, da blande puer, melioribus annos;
Ne patri caras tamen aſpernare Columbas:
Has modò parvus ama; tutabere grandior olim.

Creſce, Columbinos creſcens nec deſpice mores:
Nil formæ, nil ingenio; virtutibus una
Deeſt ætas: creſces, & tecum utriuſque Parentis
Creſcet amor, creſcet virtus, & nomen avorum.

JACOBUS VANIERIUS
AD COLUMBAS SUAS.
Cùm iterum in lucem prodirent, Gallicis Verſibus redditæ ab illuſtriſſimo Senatore Toloſano.

ITE meæ rurſus, grex auctior, ite Volucres:
Ecce * Pariſiacâ vobis è gente Columbas
Adjunxit comites, qui nomine clarus avito
Daphnis avos patriamque novo commendat honore.

Proh! quis ineſt decor Alitibus, quas ille peritis
Excoluit manibus! quàm major gratia! blandos

* *Eas Toloſæ Columbas Pariſinas nominamus, quibus rubent pedes roſtrumque.*

Ut referunt domini mores! ut & ipſa decoras
Ornat Aves eadem Daphnin quæ * purpura veſtit
Has avidis ego luminibus dum perlego; veſtram
Si qua fuit, timeo, mea maxima cura Volucres,
Ne minuat fulgente novus grex agmine famam;
Et ſolæ teneant oculos, animumque videntum.
Si tamen ire ſimul Daphnis jubet, ite Columbæ;
Et dominos qui junxit, Aves utriuſque fidelis
Jungat amicitiæ nexus; nec pectora triſtis
Livor edat, ſocium quoties laudabitur agmen;
Egregii ſi quid tangat vos gratia facti.

His etenim ducibus per & oppida magna licebit
Ire palam, matrumque manus volitare per ipſas,
Illius inprimis tibi quæ, ſuaviſſime Daphni,
Junctior eſt animo, ſocii quàm fœdere lecti.
Illa tuas & amabit aves aviumque benignum
Ingenium; ſimilique lares in imagine veſtros
Conſpiciet, placidas ſpectans ſine felle, ſine ira,
Atque maritali fidas in amore Columbas.

Nec ſatis eſt, ô turba mihi cariſſima, matrum
Conciliis quòd amica cohors vos inſerat, alti
Fas erit & dominas Capitolî inviſere turres,
Quò (*a*) Latia ſub veſte nefas intrare; Toloſam
Roma licèt quondam ſibi dixerit eſſe (*b*) ſororem;

(a) *Academia Toloſana Gallicos jam tantùm Scripores diſſimis acuit præmiis.*
(b) *Hac erat inſcriptio Litterarum quas ad Toloſates mittebat Senatus Romanus*, Roma Toloſæ ſorori.

Auſpiciiſque diu paribus Capitolia totum
Utraque frænarint armis concordibus orbem.
Inſignes habitu patrio, ſacraria Phœbi
Si placeat penetrare, loci dominator amico,
Ut ſolet, accipiet vos Daphnis amabilis ore;
Privatiſque potens meritis ac laude paternâ
Proteget imbelles: & quos loca plena pericli
Incutiunt, abiget præſens è corde pavores;
Voſque ſuas ultro dabit interſidere Lauros.

AD ILLUSTRISSIMUM ECCLESIÆ PRINCIPEM JOANNEM ARMANDUM DE ROTONDI DE BISCARAS EPISCOPUM BITERRENSEM,

Cum ei de Vitibus carmen dedicaret Author.

VINEA repit humi ſuperas ſe ferre ſub auras
Neſcia, conjunctam ſecum niſi grandior Ulmus
In ſublime ferat, cæloque oſtendat aperto:
Et mea ne jaceat quoque pulvere Vitis in alto,
Hanc, Armande, volens amplectere: fulta potenti
Præſidio, poterit latè per inania frondes
Ferre ſuas, rabiemque trucis contemnere venti:
Sed dum mollis adhuc primo juveniliter ævo
Luxuriat; tu, ſi quid habet deforme, peritâ
Finge manu, reſeca malè nata, jacentia tolle;

Effuſaſque, ſciens artis, compeſce ſeverâ
Falce comas, dignamque tuo fac nomine Vitem:
Nec te operi pigeat tenues impendere curas.

Aſpice proceram ſi quando amplectitur Ulmum
Vinea, quanquam ingens alienæ haud indiga laudis
Surgat, & excelſos ferat arbor in aëra ramos;
Frondoſam non indecoris tamen implicat Ulmum
Vitis: at ex ſocio creſcit laus mutua nexu.
Et tibi fortè aliquam pariet mea Vinea famam:
Hanc adeo patiare tuo cum nomine laudes
Circumferre tuas, ſeroſque docere Nepotes
Ut Bliteram regis exemplis, & moribus ornas;
Felices ut amas populos, & amabilis illis
Mutua tranquillos condis per gaudia ſoles;
Ut duce te Romana recèns in caſtra receptæ
Vivunt còncordes animis, & ritibus urbes;
Et debellatæ veſtigia nulla ſuperſunt
Hæreſeos, clari niſi conſcia marmora facti.

Dum reget hos pulchri mens hoſpita corporis artus?
Nil equidem præconis eges, & ſanguine clarus
Et meritis: poſſunt & in altera mittere nomen
Secla tuum, quæ templa paras, quas ponis, & auro
Egregiiſque magis decoras virtutibus aras.
Communi ſed & ipſa ruent altaria caſu;
Marmoraque & titulos edet invidioſa vetuſtas:
Carmina ſola vetant fatis ſuccumbere: nullum
Jus habet in ſacros mors imperioſa Poëtas,

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM DOMINUM DE VIC, SENATOREM TOLOSANUM, DOM. DE CLERMONT;

Cum ei Author recèns editum de re ruſtica Librum rus mitteret.

I Liber, & Clario dictum de monte reviſe
Muſarum hoſpitium, loca fortunata, tibique
Pete ſolum natale, ſacri tibi culminis inſtar.
Huc te ruris amans, ſed amantior hoſpitis author
Sæpe tulit ſecum, facilique labore polivit:
Nam faciles veniunt, cùm mens lætiſſima, verſus,
Ingeniumque juvant oculi, cùm carminis ipſa
Materies placet; & coram, quæ ſcribimus, adſunt.
Seu gravidas ſequerer meſſes, nemorumque virentum
Delicias, & curva gravi pomaria fructu;
Urbibus aut canerem ſpretis quàm dulce quietos
Rure dies agitare, mihi quodcumque videbam

Carmen erat; nec opus viſis affingere rebus;
O mea ſi Clarios referatis prædia colles,
Si nemora & valles atque autumnalia ruris
Otia! quàm læto relegat vos lumine lector.
I tamen, i liber, hoſpitii ſecurus; amicâ
Excipiere manu; tibi ſeu pater obvius ibit,
Occurratve prior, Themidis ſpes altera, Natus.
Belligeras altis imitantia turribus arces
Tecta recognoſces & propugnacula quondam
Præſidiumque, domûs nunc ornamenta ſuperbæ:
Pulcher enim & ventis à quatuor, ordine longo
Arboribus cinctus, campos utrinque patentes
Se ſuper attollit ſpatiantibus agger amicis
Utilis, arcendos olim congeſtus in hoſtes.
Defenſos non foſſa lares quæ cingit, ahenis
Non te porta feris terrebit imagine belli:
Scis etenim, bona ſi toto pax exulet orbe,
Si pietas, ſi ſacra fides & plena lepôrum
Gratia, non alios habituras eſſe penates.
Ingredere, & noſtro patrem natumque ſaluta
Nomine: tum Latio quanquam ſermone loquaris;
Ne dubita matri te ſiſtere: multa precantem
Invenies ſacras intra quas condidit ædes,
Conjugis atque viri teſtes pietatis opumque.
Vota preceſque Deo dum ſolverit illa, manebis
Ante fores: mora longa; moræ ſed magna ſequentur
Præmia, ſi faciles aditus & commoda captes

Tempora, cùm Matrum fortunatiſſima Natas
Inter, acu pinget: nam te ſuaviſſima dulci
Excipiet quâ voce ſolet; Natoque legendùm
Tradet; & ille magis juſſu te matris amabit.

At neque nobilibus quæ nata parentibus ipſum
Nobilitat meritis genus, obliviſcere Neptem.
Omnibus incolumi firmas in corpore vires,
Atque pios Aviæ ſenſus, annoſque precare.
Poſt ubì per cunctos mea vota meamque ſalutem
Attuleris; tum poſce domûs hac parte locari,
Authoris quæ nomen habet: ſervare memento
Quos in fronte tua properantior exaro verſus;
Ut maneant teſtes, animique perennia grati
Pignora: nam quanvis meritorum haud immemor unquam
Ipſe futurus ero; te fortè ſuperſtite nobis,
Longiùs ad ſeros veniet mea gratia Natos.

SERENISSIMI
DELPHINI
BURGUNDIÆ DUCIS
TUMULUS,

Ad Reverendum Patrem Le Telier,
Ludovico Magno à Confeſſionibus.

Alta quies animo nuper cùm fortè referret
Delphini exequias, & quæ præconia paſſim
Unanimes linguâ celebrant utrâque Poëtæ;
Meme incuſabam ſolis quòd fletibus urnam
Illius abluerem; tumulo nec funebre carmen
Adjiciens, gratas teſtarer & ipſe Camœnas.

Talia volventi ſeſe mihi Thracius Orpheus
Obtulit in ſomnis, cytharam dare viſus eburnam.
Hanc digitis ut pulſo, movent ſeſe omnia circùm;
Inque meam revocant mentem deducta cavatis
Saxa jugis, ſtructamque ſono teſtudinis urbem.

Queís ego prodigiis & amico munere lætus
Ponere conſtituo facili monumenta labore,

LE TOMBEAU DE LOUIS DAUPHIN DE FRANCE

AUPARAVANT DUC DE BOURGOGNE

Traduit du Latin du R. P. VANIERE *Jeſuite*,

PAR M. DE R*** CONSEILLER au Parlement de Toulouſe.

DU cercueil de LOUIS *l'ingenieux ſommeil*
Me retraçoit un jour le lugubre appareil :
Les Muſes à l'envi déplorant leur diſgrace
Rempliſſoient de ſon nom l'un & l'autre Parnaſſe :
Je rougis que content de mes ſteriles pleurs
Mon amour ſur ſon corps ne jettât point de fleurs.
Ce reproche ſecret m'afflige & me tourmente ,
Quand le Chantre de Thrace à mes yeux ſe pré-ſente :
Son luth harmonieux qu'il place ſous mes doigts ,
Fait mouvoir à l'entour les rochers & les bois.
Mon eſprit attentif à ce ſoudain preſtige
Penſe que d'Amphion rappellant le prodige ,

Duratura magis, levibus quàm tradita chartis
Carmina, communi quæ ſæpe cadentia fato
Poſt aliquot pereunt ipſis cum Vatibus annos.

Continuò gravior fuſcis amplectitur alis,
Et procul hinc Parias ſiſtit me ſomnus ad oras.
Threïcias impello fides; auritaque parent
Marmora, & ex altis deſcendunt rupibus ultro,
In quaſcumque vocem ſubitò converſa figuras.

Aëreum ſeco rurſus iter; Liparenque caminis
Ardentem ſomno ſubiens vectore, canoræ
Fila lyræ moveo liquidis audita metallis:
Et jubeo, Delphine, tuos æs fuſile vultus
Induere, ac fidâ morientis imagine ſacros
Reddere quos ori virtus afflarat honores.
Dilectam thalami ſociam Natumque, Parentes
Heu! brevibus nimiùm ſpatiis ad buſta ſecutum,
Impero ſpiranti quoque vivere rurſus in ære.

Ætherеis vehor inde plagis; & ahenea ſigna,
Atque ſuis avulſa jugis, cytharæque potenti
Marmora ducta ſono mecum per inane feruntur.
Omnia quæ vaſto procul hinc ſub fornice tem-
pli

Les pierres à mon gré quittent le haut des monts,
Et vont pour bâtir Thebe obéïr à mes ſons.
Charmé de mon pouvoir & du preſent d'Orphée,
Je deſtine au Dauphin un ſuperbe trophée,
Plus ſûr que nos chanſons, dont l'impuiſſant ſecours
Ne peut toûjours des ans braver l'injuſte cours.

D'abord le Dieu m'enleve, & fendant les nuages
J'apperçois de Paros les celebres rivages.
Là du luth Thracien reconnoiſſant la loy,
Le marbre à gros monceaux s'aſſemble au tour de moy;
Et cet amas confus qui ſoudain m'environne,
Prend au premier ſignal la forme que j'ordonne.

Le Dieu m'amene enſuite auprès de ces fourneaux
D'où Vulcain nuit & jour fait couler les metaux.
A mes puiſſants accords le Bronze rend hommage:
Je vois, LOUIS, *je vois ſe former ton image.*
Envain l'affreuſe mort efface tes attraits;
De tes vertus encor j'y reconnois les traits.
Ma lyre au gré d'un cœur de ton honneur avide,
Fait revivre avec toi ta chere Adelaïde,
Et ce Fils moiſſonné dans la fleur de ſes ans
Que la Parque en trois jours a joint à ſes parents.

Auſſi-tôt le ſommeil à mes deſirs fidelle
Pour ſortir de ces lieux me prête encor ſon aîle,
Et le marbre & l'airain transformez par mes airs
Sont portez avec moi dans la vague des airs.
Un climat éloigné voit terminer ma route,

Stare jubens, ſolido tumulum de marmore pono.

Eruitur per ſe tellus: fundamina molis
Infabricata ſolo conduntur; mixtaque nigris
In tumuli faciem ſe candida marmora tollunt.

Delphinum ſociamque tori, quos fœdere dulci
Vita brevis, quos & fato mors junxit acerbo,
Communi feretro ſimulatos ære reponens;
Te quoque, parve puer, quem mors avidiſſima luctûs
Pene ſimul rapuit, medium inter utroſque Parentes
Conſtituo; noſtri quæ pompa doloris amaros
Gentibus eliciat fletus; feroſque Nepotes
Humanis doceat quæ ſit fiducia rebus.

Hæc ubì facta, novum placuit decus addere buſto;
Et quas Delphinus coluit, ſimulachra Dearum
Erigere, ac mœſtos è marmore fingere vultus.

Relligio ſparſos humeris effuſa capillos,
Ereptum decus & columen pietatis avitæ
Multa dolens, juſtos detergit pollice fletus.
Tartareæ facies & quæ devincta catenis
Sub pede monſtra tenet, quo Principis omnia languent
Interitu, vires hinc ſumere, viſa, dolorem

j'ordonne

J'ordonne & tout ſe rend ſous une immenſe voute :
J'y trace le tombeau de l'auguſte Dauphin
Où ſon nom glorieux bravera le deſtin.
Déja des fondemens la place ſe découvre :
La terre dont le ſein à mon ordre s'entrouvre,
Des marbres entaſſez engloutit le monceau :
Au même inſtant s'éleve un ſuperbe tombeau.
Unis, mais peu de tems, par l'amour le plus rare
Mais trop unis helas ! par un deſtin barbare,
On y voit ces Epoux dans un même cercueil,
Et ce Fils dont la mort, monſtre avide de deüil,
Coupa preſqu'au berceau la précieuſe trame,
Paroît au milieu d'eux, monument de leur flâme.
O Princes ! ô François ! que ce ſpectacle affreux
Puiſſe à jamais inſtruire & toucher nos neveux.
Je voulus du Dauphin orner le Mauſolée,
Et placer à l'entour la troupe deſolée
Des ſaintes Deïtez qui fixoient ſes regards.
La Religion triſte & les cheveux épars
Sur ce digne ſoûtien de la foi de nos peres
Verſe des pleurs garants de ſes douleurs ameres.
Tandis que tout s'afflige à la mort de LOUIS,
Elle voit ſous ſes pieds les Dèmons réjoüis,
Qui prenant dans leurs fers une audace nouvelle,
Aigriſſent de ſon cœur la triſteſſe mortelle ;
Et par leurs fiers regards rappellent à ſes yeux
Les perils dont jadis tremblerent nos ayeux.

Illius exacuunt: diroque minantia vultu
Priſtina ſollicitas revocant in ſecula curas.

Ubertim lacrymans inconſolabile vulnus,
Regum fida comes, ſapientia mœret, alumnum
Non habitura parem, qui rerum expendere caſus
Norit; & edictis ſceleri proclivia frænet
Ingenia; exemplîſque magis quàm legibus uſus,
Imperet ipſe ſibi primùm; plebiſque parentem
Non dominum referens, tunc ſe putet eſſe beatum,
Cùm fuerit populus felix: revolubilis auri
Prodigus, accipiat maris inſtar opeſque refundat;
Congeſtis neque divitiis, ſed amore ſuorum
Æſtimet inſtanti poſſit quid patria bello.
Hæc pietas, hic ſummus honos: hac lege viros vir
Permiſſis regit imperiis, ut ſerviat unus
Omnibus; atque unum tueatur ametque viciſſim
Subdita plebs, vitamque velit pro Rege paciſci.
Quas propior ſceptris ab Avo monſtrante probatas
Regnandi ſibi Delphinus præſcripſerat artes,
Altiùs infixas animis & in ore frequentes.

Stans alia de parte, comas evincta Cupreſſu;

La ſageſſe, des Rois compagne inſeparable,
A ſon tour pleure ici la perte irreparable
D'un nourriſſon cheri, qui fidelle à ſa voix
Auroit ſçû ſe montrer le modelle des Rois,
A regler l'avenir employer ſa prudence,
Par ſes ſages Edits reprimer la licence,
S'aſſujettir lui-même aux rigueurs de ſa loi,
Meriter ſon Empire en l'eſſayant ſur ſoi,
Gouverner ſes ſujets moins en maître qu'en pere,
N'être heureux qu'en chaſſant la publique miſere.
Sur ce ſage Dauphin, Princes, reglez vos mœurs;
Ecoutez ſes leçons, gravez les dans vos cœurs.
Ainſi que l'Ocean reçoit ſans violence
Les ondes qu'il répend d'une égale abondance;
Qui prompt à prodiguer de fragiles trésors
Exigez à regret, amaſſez ſans efforts,
Un Monarque inſenſible à leur flateuſe amorce
Dans l'amour des ſujets ſçache mettre ſa force,
Que du commun bonheur occupant tous ſes ſoins,
De ſes peuples ſon œil obſerve les beſoins:
Alors pour conſerver cette tête cherie,
Ils ſçauront immoler leur répos & leur vie.
Qu'aux mortels un mortel faſſe craindre à ce prix
Le Sceptre que les Dieux en ſes mains ont remis.
Ainſi ſur les leçons que ſon Ayeul enſeigne,
LOUIS *avoit formé le projet de ſon Regne.*
La France vers le Ciel levant ſes triſtes yeux

Gallia mœrentes oculos ad ſidera tollit ;
Viſa queri, quòd vel Delphinum viderit unquam,
Seriùs æthereis vel non tranſmiſerit aſtris.

Una mihi tumuli facies, ab imagine, nuda
Cùm foret, ancipiti ſeſe fert obvia menti
Armorum Bellona potens ; gemituque requirit
Delphinum, quo belligerâ præſtantior alter
Non foret arte, ſuî ſi prodigus ipſe, ſuorum
Non timuiſſet opes vitamque impendere laudi.

Sera fatigato quæ Pax affulſerat orbi,
Ambiit effuſo quoque fletu ornare ſepulchrum
Principis ; hanc primus revocaverat ; armaque victor
Dum regeret, populi felicia fata triumphis
Anteferens, bello pacem quæſivit ; & hoſtes
Juſtitiâ, trucibus quàm vincere maluit armis.

Sed neque te, Pax almâ, decet profundere fletus,
Aſſeruit fauſto Lodoix quam fœdere Gallis.
Tu quoque Francigenûm quam finibus expulit orbis
Et patriæ Delphinus amans, Dea bellica, triſtes
Hinc remove, videat quos nunquam Gallia, vultus ;

Le front ceint de Cyprez ſemble ſe plaindre aux Dieux
D'avoir vû ce Dauphin des ſouverains la honte,
Ou de l'avoir perdu par une mort ſi prompte.
Un ſeul côté reſtoit: mon eſprit incertain
Conſultoit pour l'orner la gloire du Dauphin;
Lors qu'à mes yeux s'offrit la Déeſſe des armes,
Redemandant aux Dieux par ſes cris, par ſes larmes
Ce genereux vainqueur l'exemple des guerriers,
Dont la main eut cueilli d'innombrables Lauriers;
Si ſon cœur enyvré d'une gloire barbare
Du ſang de ſes ſujets eut été moins avare.
La paix dont l'univers fatigué de combats
Goûtoit, mais un peu tard, les renaiſſants appas,
Dans ce malheur commun juſtement conſternée,
Vouloit que de ſes pleurs la pompe fût ornée.
Le Dauphin le premier pour hâter ſon retour
Fit taire ſa valeur, écouta ſon amour;
Et dans les Champs de Mars ne cueïllit point de Palme
Sans pouſſer des ſoûpirs pour obtenir le calme,
Conquerant plus jaloux de voir ſes ennemis
Vaincus par ſa bonté qu'à ſes armes ſoûmis.
Mais tandis qu'un grand Roi te rend à nôtre attente,
O Paix, tu dois calmer ta douleur peu decente:
Et toy que reſpirant le bonheur des états,
Louis voulut bannir en de lointains climats,
Bellonne, ne vien point par ton aſpect terrible
De ce ſage Heros troubler l'ombre paiſible;

Pacificos nec dira gravet præſentia Manes.

Ingenuas quæ Diva colis tranquillior artes,
Conſternata tuum eſt ſuffundere fletibus ora:
Excidit omne tibi decus; & quo Principis annos
Mors inimica tuas uno ſpes abſcidit ictu.
Quando erit ut blandas alius florente juventâ
Delicias ſpernat; volvendis otia libris
Conferat; & tantùm ingenii præcellat acuti
Robore, regali quantum ſupereminet ortu.
Inclyta Delphino ſummos laus inter honores
Obtigit, ut Legum Regnique peritior, ipſas
Audierit Muſas; Naturæ arcana ſagaci
Ingenio excuderit; terras cælumque profundum
Et Solis Lunæque vias, ac priſtina norit
Tempora, primævos neque relligionis avitæ
Neſcierit ritus; quos, cùm non ſanguine poſſit,
Conſignat moriens ſcriptis; peſtemque laceſſit,
Quâ nunquam ſtygio, ſe judice, prodiit Orco
Regibus aut populis damnoſior; intima regni
Occultis licèt illa viis in viſcera ſerpat.

Et long-tems déchiré par tes cruels forfaits
Puiſſe ſon peuple heureux ne te revoir jamais.
Vien plûtôt des beaux arts toi qui tiens la balance ;
C'eſt à toi de gemir dans un humble ſilence :
Les deſtins d'un ſeul coup renverſent aujourd'hui
Et l'eſpoir de la France & ſon plus ferme appui.
Quel ſiecle te rendra, dès l'âge le plus tendre
Un Prince des plaiſirs habile à ſe défendre,
Jaloux ſur les ſçavans de s'aſſûrer un rang
Que ſur de grands Etats lui deſtine ſon ſang.
Tel fut de mon Dauphin l'auguſte caractere :
Du grand ſçavoir des Rois il connut le myſtére,
Ecouta de Themis les ſeveres leçons,
Daigna même du Pinde entendre les chanſons ;
Il ſonda la Nature ; & ſes doutes celebres
Pour ſon eſprit ſubtil n'eurent point de tenebres :
Il meſura les Cieux, apprit par quels reſſorts
A nos yeux étonnez ſe meuvent ces grands corps ;
D'un œil docte ſuivit leurs routes inegales.
Clio lui deploya ſes immenſes annales :
Il connut d'un eſprit penetrant & ſoûmis
Le dépôt qu'en nos cœurs nos peres ont tranſmis.
S'il ne pût à ſa foi ſacrifier ſa vie,
Il la ſcele en mourant ; ſa plume le publie :
Plein d'une ardeur chrêtienne il attaqua cent fois
Un monſtre la terreur des peuples & des Rois,
D'autant plus dangereux que cette horrible Peſte

Stabant jam perfecta mei monumenta doloris;
Nec ſatis eſſe ratus mutas poſuiſſe figuras,
Inſcribo tumulo verſus; ut & ipſa perennem
Marmora Delphini famam nomenque loquantur.

Ac primùm quâ parte ſedet ſapientia, ſaxum
Exaro, pauca notis incidens altiùs aureis.
Hic jacet auguſtas Regni qui natus ad artes,
Parendo didicit dominari, Regibus ipſis
Exemplar morum quondam, vitaque futurus;
Quanquàm obiit primis, cœlo maturus, in annis.
Hinc aliam tumuli faciem, quam Pallas obortis
Triſtior irrorat lacrymis, hoc carmine ſigno.
Qui ſcripſit laudanda pius, celebrandaque fortis
Præſtitit, ingenio vivet Vatumque, ſuoque.

Relligio quoque carmen habet; venturaque retro
Secla docet, ſanctam maneant quæ præmia vitam,
Delphini patrio quæ condimus oſſa ſepulchro
Poſteritas ſacris olim venerabitur aris.

Ipſa adeò cineri perſolvit grata ſepulto
Gallia, quæ ſeri repetant pia vota Nepotes.

Nous infecte en ſecret de ſon venin funeſte.

Enfin de ma douleur l'ouvrage étoit parfait :
Mais malgré tant de ſoins mon cœur peu ſatisfait
D'expliquer ſes regrets par un muet ſymbole,
Veut aux divinitez ajoûter la parole ;
Et bien-tôt du Dauphin ſur le marbre gravez
Le nom & les vertus vont être conſervez.

D'abord ſur le côté qu'occupe la ſageſſe,
Ces vers en lettres d'or expriment ſa triſteſſe.

Ci gît qui pour le thrône en naiſſant élevé
En apprit le grand Art par un reſpect fidelle ;
Qui des vertus aux Rois donnera le modelle,
Bien qu'en ſes premiers ans le Ciel l'ait enlevé.

Minerve forme auſſi des plaintes dont je grave
Le marbre que de pleurs cette Déeſſe lave.

Grand Prince, des Autels ta plume eſt le ſoûtien :
Tes exploits celebrez vont embélir l'hiſtoire.
Ton nom peut s'aſſûrer d'une longue memoire
Par le ſecours d'autrui, plus encore par le tien.

La Religion montre à la future race
Quel prix ce ſaint Heros nous promet ſur ſa trace.

Reſpectez d'un Prince pieux
Les oſſemens cachez ſous ce marbre fidelle :
Placez ſur mes Autels par le plus juſte zele
De l'Univers un jour ils recevront les vœux.

Par des vers à ſon tour la France gemiſſante
Exprime ſa douleur vive & reconnoiſſante ;

Quàm dulci regere imperium ditione parabat,
Illius hoc tumulo tam molliter oſſa quieſcant.

Ornamenta volens ſtructo majora ſepulchro
Adjicere, & Divûm donis præſentibus uti,
Deſtituor ſomno: volat ille nigrantibus alis;
Atque leves unà tumulus vaneſcit in auras.
Qualis ineſt memori defixus mente, recentem
Hunc tibi tranſmitto, Teleri rigidiſſime Veri
Cultor, & hæreticæ peſti Regiſque favore,
Et ſcriptis metuende tuis: ſi ſacra profanis
Miſcuerim; ſpecies ſcis fingere ſomnia vanas,
Et caput atque pedes uni malè reddere formæ.

Et ces vœux qu'à jamais formera l'avenir
Conſacrent de LOUIS *l'éternel ſouvenir.*
Puiſſent de mon Dauphin les heureuſes reliques
Goûter ſous cette tombe une éternelle paix,
Telle que dans mon ſein ſes vertus pacifiques
La promettoient à mes ſujets.

Mon zele alloit encore employer l'art d'Orphée,
Quand je vis tout à coup le volage Morphée
D'un vol prompt & leger vers les Cieux s'échaper,
Et mon freſle tombeau dans l'air ſe diſſiper.

Telle qu'il m'en ſouvient je t'en offre l'idée,
Le Telier, toy par qui l'erreur intimidée
Voit ſes Temples deſerts & ſon culte interdit,
Qui conſacres à Dieu ta plûme & ton credit.
Si par un attentat que ta vertu condamne,
J'ai melé dans mes vers le ſaint & le profane,
Souvien toy que toûjours nos ſonges imparfaits,
Forment dans notre eſprit de biſarres portraits.

AD PRÆDIUM RUSTICUM,

Cum illud Author dono daret ILLUSTRISSIMO D. JACOBO DE VERTAMON CONSERANENSIUM EPISCOPO, Pariſios proficiſcenti.

Ergo tuo liber ah! domino felicior, urbem,
Quâ nihil eſt toto majus in orbe, petes.
Non equidem invideo quæ regia tecta videbis:
Quanquam ſint oculos digna tenere meos.
Ibis, id invideo, claro comes ibis amico,
Quo melior, quo non alter amabilior.
Extremos illo penetrem duce lætus ad Indos;
Nec longæ metuam tædia lenta viæ:
Namque vel emenſo, fandi doctiſſimus, orbe,
Mentis inexhauſtas uſque refundat opes.
I liber, & linguæ quanvis utriuſque peritum
Virgilius metuat Mæonideſque virum;
I tamen; & vacuus ſi te legat inter eundum,
Ad nos è domina cultior urbe redi.

AD

AD ILLUSTRISSIMUM

VIRUM

DOM. JOANNEM

DE RESSEGUIER

SENATOREM TOLOSANUM,

Cum ille DAPHNIDIS *nomine ad Authorem ruri commorantem ſcripſiſſet.*

DAPHNI quid inſano me ruris amore teneri
Scribis, & annoſas arguis uſquè moras.
Viſa quidem mora longa, tui quam rara levavit
Colloquii ſupplens littera ſcripta vices:
Nam quanquam mihi rura placent; hoc diſplicet unum,
Quòd tibi non poſſim dicere, rura placent;
Teque niſi præſentem oculis quoque videro ruri,
Non ſatis eſt memori mente quòd uſquè fruar.
Huc ades: atque tuis urbem mihi devehe totam
Curribus: unus enim tota Toloſa mihi es;
Rumoris non illa vagi, non plena tumultûs,
Sed pia, ſed doctis fœta Toloſa viris.
Hei mihi! quid volui demens! an & ipſa Senatûs,

Viſere amant humiles Numina magna caſas!
Nectaris an blandi ſaturo tibi, ruſticus hoſpes,
Ova Philemoniâ ſimplicitate dabo.
Si tamen urbanos audes contemnere faſtus,
Quò vocat Aonidum te chorus omnis, ades.
Experiere iterum, nemora inter frondea, verſus
Quàm faciles animo liberiore fluant.
Tutiùs hîc ſcribes; neque te pudor arguet intus,
Ad cœptum quoties Muſa vocabit opus.
Scis etenim, & mecum doluiſti ſæpe, Poëtas
Livor in urbe malo carpere dente ſolet.
Dat veniam cenſura, fori ſi tædia ſolvit
Et tenet aſſiduas alea jacta manus;
Mutatis animus ſtudiis ſi fortè levatur,
Semine ut alterno fœta quieſcit humus;
Negligere & cauſas Vates, & jura Clientum,
Unius & verſûs dicitur eſſe ſciens:
Hæc moveat gravior nos indignatio: vulgo
Parcere tu debes, invidiamque pati.
Nam veluti qui culta legit tua carmina, ſolos
Aonidum credit te celebraſſe choros;
Sic ubì jus dicis, ſtupet ipſe Senatus, & unis
Te legum ſtudiis inſenuiſſe putat.
Perge nec alternos Phœbi Themidiſque labores
Abjice, par gemina nomen ab arte feres.
Si non illa ſatis venturi nominis olim
Ingenium ſtimulat gloria ſera tuum;

Scribendi moveat non impermiſſa voluptas :
  Unus enim eſt per ſe qui juvat, ille labor.
In reliquis plus fama poteſt quàm gratia rerum ;
  Unus & ad ſtudium nominis urget amor :
Qui terit hiſtoriæ fumoſa volumina, non tam
  Diſcere vult lector, quàm nova poſſe loqui.
Nomen amat, ſcirique magis quàm ſcire laborat,
  Qui ſequitur docti ſomnia vana Sophi :
Sed veluti nemorum Volucris per inhoſpita, dulces
  Fundit ab ore ſonos, & ſibi ſola canit ;
Sic animo Vates indulget, ſeque beatum
  Eſſe putat, ſoli ſi placet ipſe ſibi.
Cætera cùm ſocios adjutoreſque requirant ;
  Unica Muſa ſuas inter abundat opes.
Hæc dubios vitæ caſus duroſque labores
  Temperat, hæc triſti nubila mente fugat.
Si libet in villam ſecedere, ruris amantem
  Tædia non capient, ſi tibi Muſa comes ;
Et ſi ſolus eas, via non laſſabit euntem,
  Uno ſi tecum Muſa vehatur Equo.
Cùm decus adjiciant ad commoda tanta Camœnæ.
  Te non immemorem muneris eſſe decet.
Officium referes gratuſque videbere ; noſtrum
  Carmine ſi pergis nobilitare gregem.

AD EUNDEM DOMINUM DE RESSEGUIER, SENATOREM TOLOSANUM.

Cum nuper ſtudiis & urbe feſſus
Amœniſſima rura cogitarem :
Unis omnia congerens in agris
Ornamenta ſoli feracioris ;
Valles, & juga montium virentum,
Declivem fluvium, vagique rivi
Lætos per tacitum nemus ſuſurros,
Pulchrum floribus utilemque pomis
Hortum, prataque, conſitaſque rectis
Ulmos ordinibus brevi locorum
Ponebam ſpatio ; dies ut omnes
Nunc in valle latens, mihi meiſque
Vacarem ſtudiis ; apertiori
Nunc in colle ſedens, vagos utrinque
Circunferrem oculos : vel ambulando
Nunc flexus ſequerer feracis horti,
Nunc cæcas nemorum vias, canoris
Ferventes Avibus ; ſopore blando
Nunc fontis caput ad ſtrepentis, horam

Furarer ſtudio ſeveriori.
Agris divitibus laborioſæ
Queis Natura nihil relinquat arti,
Dabam conſimilem facillimique
Convictûs dominum, mihi vetuſto
Junctum fœdere; cujus eſſet ultro
Fideliqne patens amore pectus,
Et gratâ domus hoſpitalitate.
Hæc cùm ſomnia vana ſomniaſſem,
Me rus ire ſuum jubet Senator
Et Phœbo & Themidi perinde carus:
Euntem ſequor; obſtupenſque villæ
Situm, divitias, amœnitatem;
Miror non potuiſſe me Poëtam
Fingendo decus aſſequi, beato
Quod Natura dedit benigna ruri.
Ulmorum ſeries triplex, verenda
Truncis, & juveniliter comanti
Ramo luxurians, proterviorem
Defendit Boream domi, modeſtum
Quà tollit caput; ac ſuperbiores
Villas increpat, & magiſtra morum,
Effrænos docet amputare luxus.
Subeſt, dives aquâ, novoque ſemper
Hortus flore nitens oluſculiſque:
Hinc fluctu piger errat amnis; illinc
Jacent ſtagna vago natata piſce:

Stat à fronte ſilens nemus, quod altis
Caput nubibus inſerit; ſuâque
Rivum fronde tegit, noviſque ditat
Aquis, quas parit inter iliceta.

Planum nunc iter ambulationi
Sternit ſylva patens; ſupina mollem
Suadet nunc viridi toro ſoporem;
Nunc obſcurior & profunda, dulces
Latebras Lepori, canentibuſque
Ramos Alitibus dat hoſpitales.

Tum quà præcipitem quietus amnis
Rivum cæruleo ſinu receptat,
Se dorſo nemus erigit ſupino:
Hinc ſub Quercubus aſſidens (tueri
Quantùm fas oculis) aperta campi
Vides æquora meſſibus vel albis,
Baccho conſita vel feraciori:
Vides nunc placidum, pigrâque rurſus
Indignans lapidum morâ teneri,
Seſe evolvere cum ſonore flumen.
Amni contiguam vides & urbem;
Quâ viſâ magis otium quieti
Tecum ruris ames; tumultuoſi
Securus ſtrepitûs, malæque famæ.

O! blandæ mihi ruſticationis
Indiviſe comes, ſodaliumque
Jucundiſſime, ſolitudo tecum

Horrens & fera ſi placere poſſit ;
Quâ me ſorte putas beatiorem ,
Quàm cùm deliciis tot affluenti
Hoc & rure ſimul tuoque gaudens
Conſpectu recreor , locis amœnis
Sodalique fruens amœniori.

AD DOMINUM
CHARLES,
MEDICUM BITERRENSEM,

Cùm è morbo graviſſimo ejus ope convaleſcens Author Prædium ſuum ruſticum ei mitteret.

Auxiliis, ô Carle , tuis revocatus ab Orco ,
Quæ tibi pro vitæ munere dona feram ?
Cætera cùm ſpernas opulentior , accipe verſus ,
Qui tibi ſint animi pignora grata mei.
Hoc ubì quis laudabit opus ; qui condidit illud
Si vivat , dices , muneris omne mei eſt.
Et tibi vivit adhuc , vivit mihi (*a*) Clericus olim

(*a*) *Biterrenſis Poëta.*

Vindice te, miſero ſoſpes ab interitu:
Qui contra morbos & ineluctabile lethum
Fautor Apollineos, Carle, tuere viros;
Non miror ſi te Medicinæ & carminis author,
Phœbeâ clarum reddidit arte Deus.

AD ILLUSTRISSIMUM
VIRUM DOMINUM
JOSEPHUM DE CAULET,
IN SENATU TOLOSANO
PRÆSIDEM INFULATUM.

NATALIS tuus eſt; novoque Præſes
Me ſacras monet inſulas quotannis
Serto cingere: ſed meis in hortis
Cùm nil proveniat ſatis venuſtum,
Ad te mittere muneri quod auſim;
Flores accipe, queis Poëta Vaſco
Henrici gelidum tegebat olim
Multis non ſine lacrymis ſepulchrum:
Illis priſcus ineſt honos; nec ullo
Jam partum decus interibit ævo.
Opportunus erat locus precandi
Ut quàm ſerta diu Godeliana
Durabunt, totidem tui per annos

Flos ævi maneat : ſed inſulatæ
Ver ætatis agens, gradus honorum
Cùm ſummos teneas; & in Senatu
Ægrè jam tibi ſe verenda Patrum
Subdat canities; rotâ fugaces
Soles ire velim citatiori;
Ut ſi non animo licebit, ævo
Sis maturior; & labore nullo
Emendes, etiamque dormiendo,
Unum quod tibi deeſſe criminantur.

GODELINI TOLOSANI FLORES.

DE MORTE HENRICI MAGNI.

ODE

Latinis Verſibus reddita.

PASTORUM formoſa cohors, qui membra ſub altis
Ilicibus ſtrati, ſolem frigentibus umbris
Frangitis, arguto Volucres dum gutture vernant,
Sopitoſque cient modulamine vocis amores.

Vos adeo rivi tenues, argentea quorum
Lympha pigro furtim ſerpit per gramina lapſu,
Vos & ineſcatos quæ prata tenetis ocellos
Flore novo decorata, meas àudite querelas.

Clade virûm maleſœta, polo cùm nuper opaco
Intonuit nubes, & Gallum lurida Solem
Condidit, ac tenebras Mors indeprenſa per atras
Henricum & noſtras uno ſpes abſcidit ictu.

LE

RAMELET MOUNDI,

PRUMIERO FLOURETO

A L'HUROUSO MEMORIO

D'HENRIC LE GRAND

Invincible Rey de Franço & de Nabarro.

STANÇOS.

Jantis Paſtourelets que dejoux las oumbretos
Sentéts apazima le calimas del jour,
Tant que les Auzelets per ſaluda l'Amour,
Vſlon le gargaillol de milo canſounetos.

Petits Rius doun l'argen beſiadomen gourrino,
Pradets oun le plaze nous enbeſco les els,
Quand la joüeno ſaſou bous cargo de raméls,
Augéts couſſi ſe plang uno Nymphe moundino.

Quand del coumu malheur uno niboul eſcuro
Entrumic la clartat de mon aſtre plus bel,
Yeu diſi quand la mort dan le tail d'un coutél
Crouzéc le Grand HENRIC *ſul libre de Naturo.*

Triſtior, & lucem fugiens, ſub rupe cavata
Delitui, noſtris ut quo non pulchrior agris
Alter erat, Lacheſis demeſſum forcipe florem,
Et raptos mecum gemerem telluris honores.

Nunc calamos Vates animamque recolligo, Regis
Ut ſequar extincti laudes, & carmina dicam
Non ingrata tibi LODOIX: nam Vitis ut uvam
Nobilitat, Patrum clarat ſic gloria Natos.

Ergo Cæſareis aures obtundere factis
Deſinat, inſignem bello neque narret Achillem,
HENRICI quicumque decus partoſque triumphos
Norit, & impletum meritis audiverit orbem.

Illius invictos inter Regeſque Duceſque
Fama micat, circumpoſitos ut grandior inter
Chryſolitos, Adamas vultus tenet unus hiantes,
Atque ſuo gemmas hebetat fulgore minores.

Horruit armatum tellus, rerumque potenti
Procubuit ſupplex: exemplar nobile Regum
Protulerat Deus; inque virum congeſſerat unum
Egregii quidquid decoris partitur in omnes.

Oppida ſeu quateret bello, ſeu pace bearet:
Semper amica fides, æquum & clementia ſacrum
Principis in gremium ſic confluxere, ſecundo
Præcipites fluvii tendunt ut in æquora curſu.

Debita

De roumécs de doulou moun armo randurado
Fugic del gran Soulel la pamparrugo d'or,
Per ana dins un roc ploura d'él é de cor
Del partérro Frances la belo flou toumbado.

Ouey tourni prene bent per uſla ma muſcto
Que del Rey ta plangut entouno une canſou,
Sur le brabe LOUIS *regitara le ſou:*
Car al raſin reben l'aunou de la ſouqueto.

Que nou nous bengon plus brounzi per las aureillos
Ni Ceſar, ni le Grec que mouric pel talou,
Per deſſus le boulum des Princes de balou
Un HENRIC *a clauſit le mounde de merbeillos.*

Les fourtunables Reys doun le mounde fa féſto
Soun coumo de roubis pauſats en roſo d'or,
Oun le balent HENRIC *tout braſſes & tout cor*
Ero le diaman qu-oundrao tout le reſto.

La térro en tremoulan al brut de ſas armados
Li dounao la boux per ſoun prumié Seignou:
Tabe per le plaſſa dins le temple d'Aunou
Le Cel l'abio fourmat à bertuts rapourtados.

O flouriſſo la pax, ô touquéſſo l'alarmo,
La Juſtiço, la Fe, la Forço, la Bontat,
E' tout ço que le Cel douno per raretat
Coumo l'ayguo à la mar ſe randion à ſoun armo.

Debita, ſed longo tamen empta labore, corona
Sedit ubì merito capiti; formidine belli
Diſcuſſâ, rediit Pax alma; ſuaſque, futuri
Provida, Bellonæ Lauris inſevit Olivas.

Vicerat ut fractos manus inſuperabilis hoſtes;
Ingenui noſtrum ſic expugnabat amorem
Oris honos, & quæ moderatrix ſedula linguæ
Prætulit uſque facem ſalſis Prudentia dictis.

Noverat æquatâ juſtum ſuſpendere lance;
Quæque vagos alterna pedes per caſtra ferebat,
Fortunam prenſare manu, clavoque trabali
Multa relu&tantem Gallis affigere ſceptris.

Quò furor armorum Martiſque pericla vocabant
Ancipitis, ſpectandus erat, cùm fulmine miſſo
Sanguineos latè rivos immitteret agris;
Et quateret diro capitum quaſi grandine terram.

Nequicquam coëunt hoſtes; & totus in unum,
Invidiâ ſtimulante, ruit furialiter orbis:
Nam vel Atlantæâ mundum cervice labantem
Suſtinet, Herculeo domitum vel robore vincit.

Ac veluti trepidâ pulſus formidine Cervus
Diffugit exanimis fera cùm ſonuere profundas
Cornua per ſylvas; ſic territus evolat hoſtis,
Bellantis venit Henrici cùm nomen ad aures.

Taléu que ſur ſon froun ſe pauſéc la courouno,
L'englazi ſe neguéc al riu del debrembié.
La pax y ba beni, que de ſoun Oulibié
Y fec un bel empeut ſul Laurié de Bellouno.

De ſas milo bertuts la pretiouſo richeſſo
Croumpao d'un cadun le cor, é l'affecciu,
Soun cos ſe faſio beze un Cel de perfeccieu
Al lum de ſoun eſprit, eſclaire de ſageſſo.

Aoc's el que ſul ſi remettio la balanço,
Taleu que la raſou ſe plaigno d'un affroun:
Aco's el que prenio la fourtuno pel froun,
Que clabelao pey ſul ſcéptre de la Franço.

A la fiero des trucs el caillo qu'on le biſſo,
Dan le foulſe del bras eſclafa le fer blanc,
Foulſe que faſio courre un labaſſi de ſang,
E' regita de caps uno groſſo graniſſo.

D'enemics animats un mounde ſe bandao
Per fa rebés del dret, que de dret li benio:
Més el ero l'Atlas que tout au ſouſtenio,
E' peyſſoun l'Herculet que tout au englandao.

Coumo s'embalauſis la Bicho pel bouſcatge,
Quand le ſon del cournet dins l'aureillo li bat,
Al noun del grand HENRIC *l'ennemic eyſſourbat*
Fugio marrit de poou, é beouze de couratge.

Nec vani per caſtra metus inimica vagantur !
Alter enim duro coſtas dolet enſe revulſas ;
Sanguineâ jacet alter humo ; jam non ſua circùm
Membra videns, nec habens ſupplex quæ brachia
tendat.

Non aliter ferus inter Oves Oviumque magiſtros,
Latratuſque Canum, medius Leo ſævit ; & irâ
Terribilis, ſtantes contrà vel ſauciat ungue ;
Diſſipat aut ſolo victos terrore Moloſſos.

Felix qui prædæ quàm laudis amantior, agros
Luſtrabat procùl ; aut poſitis ſapientior armis
Dediderat ſeſe Regi ; Briareïa centum
Jam neque prætulerat Cervinis brachia plantis.

Non aliâ cecidere hominum tot millia dextrâ :
Non tantùm, ſub clade latens, humus hauſerat
unquam
Sanguinis ; errantes nec avari portitor Orcî
Fervere tot circum ſua littora viderat umbras.

Urſis ergo feris & Tygride ſævior Afrâ
Quò ruis heu ! Erebi quæ te vis efferа cogit
Sacrilegas armare manus, & fallere ferro
Secla redonantem terris Saturnia Regem.

Quæ rabies, quæ tanta tuam fiducia dextram
Fulcierat, trepidus quam non dejecerit horror
Inſtantis ſceleris ? tibi barbara tota furenti
Adfuit in noſtram Styx conjurata ruinam.

L'un ſentio d'un eſtoc deſclaba las couſtelos,
Per ou s'eſtourriſſio le ſang à bel rajol:
L'autre, que milo pics aloungao pel ſol
Beſiò ſoun paure cos deſpartit en eſtelos.

Atal dedins un parc le Lion ſe boulégo
Al mitan des Mouſtis, del Paſtre & deys Aignels.
Atal à cops de dents, de coüo, d'urpos, é d'éls
Les eſpauris, eſquiſſo, endoulomo, mouſſégo.

Hurous le que labex ero à la picourée,
O que ſero mudat dan las armos à bas.
Per biure nou caillo que cambos ſenſe mas,
E' ſe mouſtra pulcu Cerbi que Briaréo.

Jamay cap d'autre Rey nou fec talo ſoulado,
De coſ'es de ſouldats eſquitats en la mort;
E' Caron jamay plus nou troubec à ſoun port
D'eſperits deſouſſats ta rabento menado.

Donc, ô Tigre cruel, piri que l'Ours ſalbatge,
Pla t'abion pouſſedit las Feramios d'ifer,
Quand ta ſcarioto ma s'anec arma de fer,
(Seigneur Diu) contr'un Rey que daurao noſtr'atge.

Qui te piegéc le bras de tant d'aſſegurango,
Que nou fibleſſo pas j'oux l'ourrou d'un tal cop,
Sampa l'Eſprit de neit que li trigao trop
Que biſſo reboundut le ſoulel de la Frango,

Otia pacato voluiſti tollere mundo ;
Bellorumque novam Gallis inducere nubem :
Sed viden ut motos compeſcuit illico fluctus
Turbida Neptuni Delphinus regna capeſcens.

Te malè Dî perdant : cujus manus impia ſacrum
Virtuti pectus gladio temeravit iniquo.
Peccavit leviùs qui quondam auguſta Dianæ
Sacrilegâ face templa petens, dedit ignibus aras.

Siccine terra ſuum, quo ſe jactabat, alumnum
Perdidit ; & toti quæ fax illuxerat orbi
In cineres dilapſa jacet : cum plebe Potentes
Siccine Mors nullo Reges diſcrimine tollit.

Nos dubio miſeri jactamur in æquore ; portum
Dum tenet, & Superûm felicibus appulit oris
Henricus ; nubeſque vagas & lucida mundi
Sub pedibus videt aſtra ſuis, novus hoſpes Olympi.

Le l'auratge emmalit d'uno guerro coumuno
Tu boulios treboula le calme de la pax,
Més tous cops en nou re foureguen diſſipats
Taleu que d'un Dalphi Diu fazec un Neptuno.

Abaliſco le gus de qui la ma prouphano,
Ben de rouça pel ſol l'auta de la bertut:
Soun cop paſſò le cop d'aquel autre perdut
Que fec un fougairou del Temple de Diano.

Eſcantit es le lum, uſat es le bel moble
De qui la terro fec l'aunou de ſoun ouſtal,
La deſcarado mort un cop tout à bel tal
Endrom dedins le clot le pages & le noble.

Le mounde es une mar, oun coumo joux de belos,
L'home ſent quado joun qualque bent d'affliccin:
Més noſtre Rey coumoul de toute perfeccin,
Hurous hoſte del Cel trepejo las eſtelos.

AD ILLUSTRISSIMUM CAROLUM DES ARLIS DE ROUSSET EPISCOPUM ET DOMINUM BITERRENSEM.

Cum ei Prædium Ruſticum mitteret Author.

EN & ego fractis tecum ſuccurrere rebus
Aggredior, Bliteræ columen, quo ſoſpite noſtræ
Numina magna Deûm ſat providêre ſaluti;
Ruris opes licèt in multos amiſimus annos.

Tu populis ades, atque Oleas ſolaris ademptas,
Conſiliis auroque juvans; ego prædia verſu
(*a*) Deſolata ſequens, doceo quâ Ruſticus agros
Arte colat, cultuque Hyemes emendet iniquas.

Obris ad umbroſum littus, villæque nitentis
Delicias inter, noſtrum Rus accipe Præſul;
Liniacique tui celſis de turribus aude
Sordida non duro luſtrare mapalia viſu.

Triſtia non Oleris moveat faſtidia noſtri,
Qui tibi formoſis ridet flos multus in hortis;
Aurea nec Citri nemora inter, glande feraces

(a) *Extinctis Oleis anno* 1709.

Deſpice quas colui ſylvas ; nec amantior Obris
Rivos ſperne meos, humili qui gramina lapſu
Lambentes, inopem volvunt ſine murmure Lympham.

Dulcè quidem fluit, ex altis qui montibus Obris
Deſcendens, jam Liniaco clementior agro,
Læta moras ultro quærit prope tecta ; tuiſque
Vel deſiderio tactus, vel amore locorum,
Immemores labi ſternit tibi molliter undas ;
Et juga qui fluctu circum vicina tonabat,
Jam placidâ, Domini mores imitatus, aquarum
Majeſtate, tuas & vim ſtrepitumque remittit
Ante fores, ubì fracta virûm quoque detumet ira.

Noſtri etiam blando plaudunt tibi murmure rivi,
Ingeniumque tuum referunt : nam lenè fluentes
Prata rigant, nudoſque ſinus oſtendere gaudent ;
Et quòcumque pedem tulerint, morientibus herbis
Languentes revocant animas ; opulentaque fructu
Arva beant ; ſtrepitu jactant nec munus inani,

AD ILLUSTRISSIMUM
LAMONIUM BAVILLÆUM.
VENTORUM IN ÆSCULUM CONJURATIO.

GRANDIOR & veteri ſacra Relligione, virſimque
Publica vota gerens ramis pendentia, Quercus,
Frugifero ſtabat feliciter edita campo;
Brachiaque huc illuc latè frondentia tendens,
Servabat tutas Aquilonis ab impete meſſes.

Maturis jam tempus erat ſupponere falcem
Frugibus; infernis cum Styx afflavit ab antris
Juratum ſata læta ſolo proſternere ventum;
Feciſſetque, ſuâ Quercus niſi fronde tumentes
Opportuna minas & iniquam frangeret iram.

Impatiens vinci Boreas furit acriùs; ipſam
Sed priùs in ſegetem quàm vi bacchetur apertâ,
Cogitat obſtantem ſine more laceſſere Quercum,
Dilacerare comas, & qui jactantior effert
In ſublime caput, de ſtirpe recidere truncum.
Nec mora, ventorum vocat auxiliaria fratrum

Agmina; & ipſe ſuis pluvios Aquilonibus imbres
Aſperat in glaciem, quâ grandine vapulet arbor.
Qui Sinas Indoſque furens vexaverat Eurus;
Afflat ab Eoo quidquid tulit orbe veneni:
Caurus ab heſperio venit axe; comaſque per altas
Sibilat inſultans; & adacto pulvere ſegnis
Denigrat æſculeas, nequeat ſi ſtringere, frondes.
Non intellecto ſceleri bonus ipſe maligno
Serviit afflatu Zephirus: qui lenè ſuſurrans
Hactenus Iliceis aſſuerat frondibus ultro
Blandiri, lenique favens alludere flatu,
Mutatâ jam mente, comas quaſſare, noviſque
Nititur antiquos odiis æquare favores.
Hos inter motus ventorum & prælia, Quercus
Colligit hinc illinc fuſos ac fortè fluentes
Liberiùs ramos; & cedere viſa, Notorum
Vim frangit patiens; ac ſalvis meſſibus iras
Et conjuratos fert indejecta tumultus.
Ergòne in ſuperas quibus eſt permiſſa poteſtas
Inſanire domos, Boreas ait; ardua paſſim
Qui ſubito Regum obruimus palatia caſu,
Oceanumque patrem totaſque à ſedibus imis
Conturbamus aquas, motoſque ad ſidera fluctus
Tollimus; unâ omnes ſuperabimur arbore venti?
Non ita: ramorum ſubeamus in intima; verſaſque
Indefeſſus agat furor in contraria frondes:
Cedet enim Quercus ſi diſſociata; ſuiſque

Ipſa flagellabit ſe frondibus, horrida ſecum
Bella gerens, foliiſque malum diſcordibus augens.
Hæc quoque ventorum ceſſit vis irrita: concors
Æſculus auxilio vires fraternaque junxit
Brachia. Jactatam cælo miſeratus ab alto
Jupiter, inſanos motus, ait, atque procellas
Deſpiciat, primo quas pertulit arbor ab ortu,
Et quibus ad ſuperas generoſior exiit auras.
Præſcia fatidicis fundens oracula ramis,
Uſque virûm votis, & relligionis honori
Serviat; ac firmis hærens radicibus, uni
Semper ſacra Jovi, durando ſecula vincat.
Quercus amica tibi, Lamoni, cujus ad umbram
Sæpe levas animum ſtudiis, en aſpice quantis
Oppugnata malis ſecum gemat anxia! quanto
Præ reliquis immanè furens circumfremat Eurus
Murmure! quàm rabidâ Boreas deſæviat irâ.
Afflictis ubi quærit opem Provincia rebus;
(*a*) Quam loquor, & ficto quam tu ſub nomine noſti;
Æſculus inde ſuam ſperavit & ipſa ſalutem.
Sæpe fatigatam repetito flamine præſens
Solabare, docens finem ſperare malorum.
Perge, novis actam jam tempeſtatibus, aude
Subſidiis fulcire novis: quaſi fulmine tactam

(a) *Societas Jeſu.*

Ne

Ne fuge; quæque poteſt tibi gratia ſola rependi,
Æſculeæ flectent ſe per tua tempora frondes:
Civica Quercus enim frontem decet illius, unum
Non modò qui civem ſervavit ab hoſte, ſed urbes
Præſtitit incolumes à flamma & cæde Gebenni
Cùm ſubito montes nuper ſonuere tumultu.

AD R. PATREM
DELINIERES,
REGI
A CONFESSIONIBUS.

Cum ei Eclogas de Amicitia Author mitteret poſt datum eidem munuſculum, quale ſe in poſterum non accepturum ſcripſerat.

NOn placuere tibi quæ miſi dona; mexque
Artis opus malles: en accipe, quale petebas
Munus, amicitiam. Librum loquor: abſit amorem
Affectare tuum, quanquam cupidiſſimus, auſim:
Ne (*a*) legum videar nimis immemor eſſe mearum,
Oblituſque meî; ſi cordis inania tantùm
Vota ſequar, virtutis amans morumque; nec altos

(a) *Secunda de Amicitia Ecloga argumentum.* Pares amicitiæ conciliandæ.

Reſpiciam, quò te virtus evexit, honores.
Adde quòd æquali tecum ſi fœdere jungar;
Deberet par eſſe pares amor inter: at extra
Verſalias quid amare potes, qui Principe in uno
Regni delicias, & quidquid amabile totus
Orbis habet, propiùs ſpectas; & ad intima Regis
Pectora ſolus habens aditum, non inclyta tantùm
Quæ reliqui tecum pariter mirantur amantque
Facta vides; ſed qua manant ab origine noſti,
Præcipuum decus unde nitet: revereris in illo
Chriſticolam mage quàm Dominum rerùmque potentem.

Fortunate nimis, qui dudum aſſuetus olympi
Sublimes monſtrare vias; quas (a)Fœmina Princeps
Te duce virtutes canis exercuit annis,
Has ſolio ſuper, & primævo in flore juventæ
Aſpicis; & primo Regem mirare ſub ævo
Jam Patris atque Atavi veſtigia ſacra tenentem:
Votorum quæ ſumma fuit: nam legibus æquis
Imperat ille, Deo qui paret; amantior idem
Eſt populi, majore colit qui Numen amore.

Proh! quanti facienda, tuli quæ dona rogatu
Auſpiciiſque tuis, meus ut de fratre ſecutus
Arma Nepos, ſacri ſtipator corporis, uni
Non homini, ſed fortunæ regnique ſaluti

(a) *Uxor Philippi Ducis Aurelianenſis, fratriſque Ludovici Magni, cui fœminæ Principi à Confeſſionibus erat R. Pater De-Linieres.*

Invigilet, diſcatque pios à Principe mores.
Vulgus enim jam non canit ampliùs (*a*) *exeat aulâ*
Qui vult eſſe pius: cùm relligionis avitæ
Aula ſit & fidei cuſtos, morumque magiſtra.

Quem tibi commiſi juvenem tutare, tuoque
Redde patrocinio dignum; Patruuſque Nepotem
Non aliis acuam ſtimulis, quàm ſæpe monendo
Ut memor eſſe velit quos inter, & Auſpice quali,
Excubet & quanto, cuſtos ad limina, Regi.

(a) *Lucanus.*

AMICO CARISSIMO

R. P. CLERIC

è Societate Jeſu.

CALENDIS JANUARII.

JANI quid voveam tibi calendis?
Cùm jam cætera vel manu benignâ
Donarint Superi, vel ipſe fauſto
Pararis ſtudio: ut fruare longùm,
Vivas Neſtoream precor ſenectam:
Et felicia quandiu per arva
Volvet præcipites Garumna fluctus;
Evolvat tibi tandiu beatos
Pleno Parca dies amica fuſo.

Ver flores breve quandiu nitentes
Redonabit agris, onuſque ſylvis
Laborantibus eximet nivale;
Primævum tua tandiu ſenectus
In florem redeat: niveſque cani
Detergat capitis redux juventa.
Finem temporibus modumque votis
Ut nullum ſtatuam; tot annuente
Vivas Numine; poſteros quot inter
Vivent ſecula, quos paras libelli.

VIRO CLARISSIMO
ET ADM. REVERENDO
D. JACOBO DUPONT,
DOCTORI,
ET MONASTERII B. MARIÆ
BERDONARUM
ORDINIS CISTERCIENSIS
PRIORI.

Cùm Crucifixi Chriſti imaginem ab authore petiiſſet, poſt obitum fratris cariſſimi belliciſque laudibus cumulatiſſimi.

PONTIADUM decus, atque tui laus ordinis, altas
Urbano procul à ſtrepitu qui transfuga mundi

Et ſylvas colis, & tecum cæleſtia ſolus
Rimaris, volviſque pio ſub pectore Chriſti
Supremos obitus; conſolariſque dolores
Ipſe tuos, viſâ morientis imagine Jeſu.

Quem tulit interitus fratris, compeſcere luctum
Ipſa poteſt, quæ ſæpe viro quæſita per hoſtes,
Mors eſt viſa Ducem fera per diſcrimina belli
Effugiſſe, Deo poſitis dum viveret armis.
A Cruce ſumma tamen ſolatia ducis; & imo
Sit licèt illa tibi ſub pectore fixa, ſalutis
Hoc noſtræ gaudes oculos quoque paſcere ſigno.

Quam petis, o veteres mihi carior inter amicos,
Haud opis eſt noſtræ Pario de marmore fictam,
Aut ebore antiquo liquidove colore tabellam
Mittere; ſed calamo, quo pingimus omnia Vates,
Expreſſam Crucis & Chriſti pendentis habebis
Effigiem; quæ te noſtrî, divine Sacerdos,
Admoneat; ſacram inprimis cum ſtabis ad aram;
Seque tuis iterum manibus Deus hoſtia Patri
Offeret, humanas ſolvat qui crimine mentes.

CHRISTUS
MORIENS.

PRogenies æterna Dei, Deus ipſe, virûmque
Certa ſalus, tecto Chriſtus ſub paupere, Fabri

Juſſa ſequens, jam ter denos ſuperaverat annos;
Seque ſui dederat monimentum & pignus amoris,
Mortales fugiens ſub panis imagine viſus,
Sacrum, auguſtum, ingens, & inenarrabile donum;
Cùm majora movens, vitæ quoque prodigus, ultro
Vincla parata ſubit: Solimam moriturus in urbem
Ingreditur: paſſim per compita, clara triumphis
Antè ſuis, trahitur manibus poſt terga revinctis.

Judicium ſortiſque vices adit arbiter orbis:
Immeritâ nece damnatur; turmæque procacis
Traditur arbitrio: Regis quem nobile nomen
Affectaſſe volunt, vili Rex ſcenicus oſtro
Fulget: adorandum ſpinis caput horret acutis:
In ſolium lapis erigitur: fluvialis arundo
Stat ſceptri vice præ manibus; Regemque ſalutat,
Et riſu lymphata Cohors illudit amaro.

Tum, ne fortè ſacræ veneranda modeſtia frontis
Arguat inimites, oculis ſceleratus opertis
Obducit velum miles; rerumque potenti
Serviles alapas infligit; & ore nefando
Deſpuit in faciem; probriſque immanibus addens
Verbera, dilacerat ſcuticis horrentibus artus.
Purpureos iterum pannos & ſpinea texta
Adjiciens, populo ſpectacula grata furenti,
Exhibet effuſo fœdatos ſanguine vultus.

Vulnera, quæ laceris ſpectant immania membris,
Hoſtiles acuunt iras. Tot ſecula Chriſtum

Speratum Patribus mutatis impia votis
Odit progenies, meritorumque immemor altâ
Pendeat ut trabe veſanis clamoribus inſtat.

Ergo Crucis ſub mole Deus per acerba locorum
Lapſantes trahit, exhauſto jam corpore, greſſus:
Triſte ſolo deponit onus, duroque recumbens
Membra locat thalamo reſupina; manuſque pedeſque
Transfixi clavis, patulo rumpuntur hiatu.

Erigitur crux alta: necis trabs hoſpita foſſæ
Duriùs injicitur: medius per inane Latrones
Inter, ut hortator ſceleris, manuumque pedumque
Vulnere ſuſpenſos Chriſtus quos ſuſtinet artus
Dilacerat magis; & vitæ gens barbara parcit,
Illius ut pœnis & longâ morte fruatur.

Necdum odiis iræque datum ſatis: audet acerbis
Inſultare malis fera gens; & ne qua dolore
Membra vacent, triſti linguam contingere potu,
Ac diris temerare pias ſermonibus aures.

Opprobrii ſatur, in media jam morte natantes
Ad cælum cum voce oculos ſupremaque vota
Dirigit; &, ſupereſt quæ libera ſola, potenti
Lingua patrocinio juſtæ Patris imperat iræ;
Atque ipſos ſcelerum veniam derivat in hoſtes.

Sol, illo moriente, ſuos à crimine tanto
Avertit vultus; tenebraſque inducit, & orbi
Se negat ingrato: nudi velamina templi
Sciſſa crepant: emota locis ſenſere dolorem

Marmora ; nec tangit, duras ſuperantia cautes
Corda virûm, mors humanæ decreta ſaluti.

SEQUENTIS FABULÆ.

ARGUMENTUM.

SEquens Fabula Gallica, cui Latinè reſpondi, hac occaſione in Collegio Toloſano recitata eſt. Plures nobis in diſciplinam filios tradidit D. COLOMEZ, *Toloſas, meus olim Diſcipulus : cùm Natu-maximus publicum ederet ſpecimen ſtudii, quale olim me Præſide dederat Pater ; gratulatus ſum Nato quòd jam nunc inſiſteret veſtigia Patris, de cujus laudibus aliquid attigi. Tribus interpoſitis diebus, cùm in publicum prodiret pariter Natu-minor, ipſumque interrogarem ; me inſcio, nec ſuſpicante quidem, reſponſioni præmiſit ſequentem Fabulam à Patre ſuo pene ex tempore ſcriptam.*

L' I F, LES REJETTONS, ET LE JARDINIER.

FABLE.

DAns un jardin de cette Ville
Dont le terroir eſt fort vanté,
Un If ſe trouva transplanté
Sous l'œil d'un Jardinier habile.
De la douceur de ſon deſtin
L'Arbuſte eut bientôt connoiſſance:
Le Jardinier ſoir & matin
L'arroſoit avec complaiſance;
Puis avec des ciſeaux que conduit la prudence,
Il déployoit à ſon égard
Tout le merite de ſon Art.
Tant fut procedé que l'Arbuſte
Parvint enfin à ce point juſte
Que le Jardinier deſiroit.
Un jour qu'auprès de l'If, lui-même il s'admiroit
Dans les beautez de ſon ouvrage,
Celui-ci lui tint ce langage.
Vos ſoins m'ont fait ce que je ſuis:
C'eſt tout vous dire; & ce prelude

Vous marque ici ma gratitude ,
Non comme je le dois, mais autant que je puis.
De vos bontez j'exige une nouvelle grace :
Vous voyez près de moy croître mes rejettons :
Ainſi que l'Homme nous aimons
A perpetuer notre race ;
Daignez en prendre ſoin. . . alors le Jardinier
Promet d'avoir un ſoin particulier
De la petite pepiniere :
Bien plus , il s'approche , & ſoudain
Il la parcourt des yeux, la flate de la main ;
Sur quoy l'If enchanté forma cette priere ,
Qu'il adreſſe au Maître des Cieux :
Jupiter repands dans ces lieux
Tes faveurs les plus abondantes ;
Conſerve cet Homme de bien ,
Pas tant pour nos chetives plantes
Qui devant toy ne ſommes rien ,
Mais pour toy-même & pour ton avantage
Permets qu'il ſoit long-tems la gloire de ſon âge.
Quelqu'un ſans doute avec raiſon
Veut que j'explique cette Fable.
En voici le ſens veritable.
Le Jardin c'eſt cette maiſon :
L'If c'eſt mon Pere, & moy je ſuis le rejetton ,
Cela regarde auſſi mes Freres ;
Et quand au Jardinier , c'eſt l'illuſtre Vaniere ,

A qui mon Pere & nous devrons,
Tout ce qu'il eſt, & ce que nous ſerons.

JACOBUS VANIERIUS
AD DOM.
DE COLOMEZ.

O Teneris Arbor quondam mihi culta ſub annis
Ut te pomiferos tollentem ad ſidera ramos
Lætior aſpicio ! ſuperaſti vota ; foverem
Spes licèt eximias ; primo cùm junior ævo
Luxurians, artes tamen in quaſcumque vocarem
Sponte ſequebaris ; flectique facillima, cultu
Nec fingenda, comam per te ſub lege tenebas.

Talis eras, qualem video frondeſcere prolem,
Quæ validum ramis truncum primoribus ambit.
Hanc ego, queis olim te contemplabar, eiſdem
Luminibus ſpecto : proh quàm formoſa ! Parenti,
Quàm ſimilis ſeſe ſub amica ſubjicit umbra !
Omnibus ut facies eadem eſt ! ut nulla tot inter
Degenerat, ſed jam patriæ micat æmula laudis ;
Dum matura pares ætas ſinat edere fœtus.

Hanc quicumque videt mecum miratur ; & optat

Felici de ſtirpe ſatam decerpere plantam,
Quâ ſua nobilitet pomaria. Si bene de te
Quid merui, quamcumque voles da tollere, noſtros
Quæ decoret creſcens hortos. Te propter & ipſam
Progeniem, priſcas revocans ſolertiùs artes,
Nativo ſi quid decori ſuperaddere poſſim
Experiar; ſtudiiſque colens magis omnibus unam,
Oblectabo ſenex mea dulcibus otia curis.

Me non longa ſatis manet eheu vita, laboris
(Si labor eſt quod ſuadet amor) decerpere grandi
Ut valeam quondam dulces ex Arbore fructus:
Sed qualem te ſpecto, tua de ſtirpe revulſum
Germen in arboream faciem, non futilis augur,
Jam creviſſe putans, præſumam gaudia, vivus
Queis fruerer; ſi fata darent ut in aëra lætam
Aſpicerem quondam plantam ſe ferre, tuæque
Et noſtræ magis atque magis conſurgere laudi.

EPIGRAMMATA

EPIGRAMMATA
AD ILLUSTRISSIMUM
EPISCOPUM N**

SICUBI Pictori riguos Natura per agros
Pulchrior explicuit ſeſe ; vix rure relicto
Temperat ille ſibi, ne quas habet altiùs imis
Infixas animis, deſignet imagine formas.
Ut pictura poëſis erit: nam me quoque, tecum
Unà quòd fuerim, fert impetus, inclyte Præſul,
Teque tuoſque rudi calamo depingere mores ;
Quos norit præſens ætas, quos poſtera laudent
Secula, quos habeant, vitæque exempla ſequantur
Optima Pontifices ; & te mirentur in uno
Partitur quod avara viros Natura per omnes.
Ingenium tibi namque ſagax cultumque ; paratæ
Mentis opes, & blanda tuis facundia dictis :
Ingenuo decor & majeſtas nobilis ori
Inſidet : & pulchros ornat mens pulchrior artus.
Sunt placidi mores, præceps ad dona voluntas,
Par animis fortuna: ſatus de ſanguine claro
Exuperas pietate genus ; meritiſque ſupremos
Aſſequeris, quibus ipſe novum decus addis, honores.
Stas ubi ſolennes ſacrorum Antiſtes ad aras,

Non labor eſt medios inter te noſſe Miniſtros:
Infula Pontificem minùs indicat ipſa, precantis
Quàm pietas habituſque: ſacris cùm rite peractis
Ad populum dicis ſupera de ſede, potenti
Orator ſermone domas fera corda; placeſque
Vel dum terrificas animos, & acerbiùs urges.

Vita fidem verbis facit inculpata; tuique
Plus mores quàm dicta valent: documenta per urbes
Non modò circunfers, ſed agreſtes rure Colonos
Inſtituis, patiens operum; nec inhoſpita curſus
Tardant ſaxa: vias mollit per acerba locorum
Dux amor, & longos prohibet ſentire labores.

Aſſertor fidei, populos in pace ſub una
Relligione tenes; nec coram oſtendere vultus
Hæreſis auſa, tuis ceſſit procùl exul ab oris.

Infirmas quâ Paſtor Oves, quâ lege domorum
Intra ſepta Pater Natos moderatur, eiſdem
Imperiis animos regis, ac delicta benignus
Emendas: & juris amans, atque arbiter æqui,
Extinguis veteres rabidis cum litibus iras.

Dives opum, miſeris bonus auxiliare; tuoſque
Nulla magis, pannis licèt obſita vilibus, ornat
Turba fores, inopum quàm quod comitatur euntem
Dulce ſatellitium: gaudes his fervere limen
Agminibus: neque te piget, optime Præſul, egentum
Auxilio ſacris operatam intendere dextram.
Das homini crediſque Deo; nec divitis auri

Quidquid habes, alio fulget tibi dulciùs uſu.

Quæ ſuperant ſtudiis felicibus otia tradis;
Linguarumque ſciens, ævi monumenta vetuſti
Eruis, & puro repetis de fonte verendum
Antiquæ fidei decus, & virtutis amorem.

Non tamen aonias bonus aſpernare Camœnas;
Nec ſterili tantùm ſtimulas me laude Poëtam:
Otia ſed largo facis ære; nec annua Janus
Tempora, Ver flores, ſpicas conſtantior Æſtas
Adducit; tua quàm referat ter dona quotannis
Fundus, ut appellas, non mendax: utile munus
Si doctæ quoque mentis opes transmittere poſſis.
Sed, quæ dona meæ ſunt optatiſſima Muſæ,
Materiam, & veras mihi das in carmina laudes.

Reddere cùm nequeam grates, meritiſque viciſſim
Reſpondere tuis; inopes imitabor Agreſtes,
Non ingrata quibus nec inofficioſa voluntas,
Sed diſpar animo cenſus: non grandia ferre
Munera conantur tenues; ſed pauperis horti
Depopulantur opes: & vix adaperta caducis
Lilia Narciſſis miſcent; ſtipantque caniſtris
Obvia quæque ſuis, ut adornet copia munus.

Hos & ego texens tibi, vir clariſſime, flores
Feſtinante manu Pindi de culmine raptos,
Tenuia ſed gratæ refero munuſcula mentis.

INSCRIPTIONES
STATUÆ EQUESTRIS
MONSPELII POSITÆ
LUDOVICO MAGNO
HÆRESEOS DOMITORI.

AD elaborandam hoc argumento inſcriptionem Poëtas invitaverant Occitaniæ Proceres edicto publico in Provinciæ Comitiis facto. Pariſiis conſecrata jam fuerat ſtatua Ludovico Victori, Lugduni Ludovico Pacificatori. Par erat ut ejuſdem Principis factum Regno utiliſſimum Poſteritati commendaretur; & Ludovico Magno Hæreſeos domitori ſtatua poneretur in Occitania, ubi potiſſimùm dominata fuerat Hæreſis.

Inſcriptionem verſibus conficiendam præſcripſerant Bercherius, Bavillæus, Bethunius, Flecherius aliique Provinciæ Proceres. Judicabant viri peritiſſimi pedes ipſos numeroſque carminis adjuvare memoriam rerum, quas Poſteritati notas eſſe volumus; ſi breviter & dilucidè verſu alligentur: quod cùm difficillimum ſit, nemini mirum videri debet maluiſſe Romanos, in tanta præſertim multitudine, ſtatuas pleraſque ſolutâ facilique oratione, quàm laborioſo verſu inſcribere. Id tamen feciſſe Græcos & Romanos patet ex græcis Anthologicis & ex libro cui titulus eſt MUSÆ LAPIDARIÆ: *& certè non video quid inſcriptioni (ſi brevis eſt & dilucida) nocere poſſit quæ*

Dignum laude virum Muſa vetat mori. *Hor.*

INSCRIPTIO

STATUÆ EQUESTRIS MONSPELII POSITÆ LUDOVICO MAGNO HÆRESEOS DOMITORI.

HUic ſtatuas ponant (*a*) alii, quòd vicerit armis,
Vel domitum fauſtâ quòd pace beaverit orbem :
Nos animis olim diſcordibus ultima paſſi
Exitia ; inviſam, bellorum ſemina, peſtem
Hæreſeos, Gallis victor quòd depulit oris ;
Ponimus hoc noſtri monimentum & pignus amoris.

ALIA.

HIc vir hic eſt, qui pacis amans, & magnus in armis,
Protulit Imperii fines : Mare junxit utrumque :
Muniit & vallis & legibus oppida : mores
Ornavit : decus ingenuas adjecit ad artes :
Compreſſit ſcelus ; & quæ debellanda manebant,
Monſtra domans inferna, viam affectavit Olympo.

(a) *Statua poſita Pariſiis* Ludovico Victori, *Lugduni* Ludovico pacificatori.

EADEM BREVIUS.

HÆreticam oppreſſit peſtem ; magnuſque triumphis ,

Maximus aſſertâ relligione fuit.

ALIA.

QUem domitis Erebi monſtris evexit ad aſtra

Relligio , vivum terras quem fama per omnes

Intulit ; hunc amor , haud dubius poſt fata , futuris

Regibus exemplar , memori tranſmiſit in ære.

EADEM.

E Domitos Lodoix quâ debellaverat hoſtes ,

Hæreſis invicta concidit icta manu.

Hanc memorem facti ſtatuam , quam voverat olim ,

Poſt obitum poſuit non dubitandus amor.

Hujus inſcriptionis ſententiam , ſed non integram, ſecutus eſt, qui ſtatuam ita inſcripſit, merum poſitionis tempus indicans. COMITIA OCCITANIÆ INCOLUMI VOVERE , SUBLATO EX OCULIS POSUERE.

Inſcriptio ſtatuæ equeſtris Lugduni poſitæ. LUDOVICO *magno pacificatori.*

IMperii poſtquam luſtris ter quinque peractis ,

Jura foro , cultum templis , Hiſpana Nepoti

Regna ſuo dedit , & victoribus otia Gallis ;

Hæc monumenta ſui Lugdunum ponit amoris.

A L I A.

Apponenda ad faciem baſis in qua videntur decumbentes fluvii Arar & Rhodanus, qui ſtatuam mirabundi ſuſpiciunt.

Conjunctas Arar & Rhodanus qui volvitis undas,
Siſtite præcipites curſus; & Principe viſo,
Credite quod vobis olim ſe teſtibus actum
Rhenus & Eridanus narrabunt; quodque, triumphis
Clarius, adjiciet ſpectator Sequana vitæ.

Inſcriptio equeſtris ſtatuæ

Ludovici magni.

En habitum quo ſe Lodoix in bella ferebat:
Quas domito tulerit palmas ex hoſte, Nepotes
Fama laborato diuturnior ære docebit.

ALIA INSCRIPTIO.

Æternùm fruitura tuis Provincia donis,
Quo potuit, Lodoix, te vetat ære mori.

Ad Latinos Poëtas, quorum inſcriptiones ſtatuæ Ludovici Magni repudiatæ fuerunt.

EPIGRAMMA.

Carminibus ſtatuam Vates inſcribere juſſi,
Edite, quæ renuunt marmor & æra, typis,
Principis immenſum ſic latiùs ibit in orbem
Gloria: ſic noſter ſecula vincet amor.

Æs abolebit enim tempus; ſtatuamque perenni
Carmine Poſteritas ſera fuiſſe ſciet.

Duodecim Cæſarum inſcriptiones.

AUGUSTUS.

ROmuleæ foret ut gentis ſors optima; nunquam
Vivere, vel nunquam debuit ille mori.

TIBERIUS.

DUm juvenem vitiis inſignem Auguſtus adoptat,
Fit Pater; at Romæ deſinit eſſe Parens.

CALIGULA.

CÆde furens, Romæ ſibi vult altaria poni;
Quòdque hominem exuerit, ſe putat eſſe
Deum.

CLAUDIUS.

IMperium jam fraude tibi furata, veneno
Eripuit conjux inſidioſa diem.

Agripina ſuaſit Claudio ut præterito Britannico filio, ſucceſſorem imperii deſignaret Neronem; quem illa ex altero marito ſuſceperat. Ne pœnitendi locus eſſet Claudium boleto venenato mox ſuſtulit.

NERO.

IN ſua convertit ferrum præcordia; poſtquam
Vix alium, tollat quem ferus enſis, habet,

GALBA.

IMperium meruit Miles : moderamine rerum
Amiſit Princeps quod decus arma dabant.

OTHO.

MAluit interitu pulchro decedere vitâ ,
Quàm ſceptrum populi clade tenere ſui.

Alia ejusdem Othonis inſcriptio.

IMperium reliqui tenuere diutius: illo
Fortiùs , adverſis ſibi fatis , nemo reliquit.

VITELLIUS.

HUnc epulo piſces uno bis mille , volucrumque
Appoſuiſſe ſibi millia quinque ferunt.
Ne cælum foret Alitibus, mare Piſcibus orbum ;
Clauſit inextinctam mors properata gulam.

VESPASIANUS.

INdignata truces jam dudum Roma Tyrannos ,
Hoc duce Cæſareum denique nomen amat.

TITUS.

ORbis amor Princeps, ſi quâ nil fortè dediſſet ,
Hanc ſibi dicebat deperiiſſe diem.

DOMITIANUS.

AMbierat frater donis ſibi condere faſtos :
Ille ſuos voluit cæde notare dies.

NERVA.

DIgnior Imperio fuit, & ſtudioſior Urbis;
Cùm ſua Trajano ſceptra regenda dedit.

Sub imagine Romuli & Remi Lupæ ubera ſugentium.

SI tener epoto cum lacte puellulus hauſtos
Nutricis mores ingeniumque bibit;
Regnorum queis tanta fames, ſugenda voracem
Ubera Romulidis credo dediſſe Lupam.

Sub imagine Catonis ſe ipſum interficientis.

TRanſadigens latus enſe Cato; quo libera, dixit,
Eſſe nequit ferro Patria, liber ero.

Sub imagine M. Tullii Ciceronis.

ILle vir eſt, orbis dominatrix totius olim
Ingenio vidit quem ſibi Roma parem.

Sub imagine marmorea Meduſæ.

COnſpectos in ſaxa viros quæ verterat, ipſam
Intuitu credo diriguiſſe ſuo.

Sub imagine D. Joſephi poſita in prædio Collegii Toloſani Societatis Jeſu.

PRædia tutatur Joſeph; Jeſuque ſodales
Almus alit, teneris Jeſum qui pavit in annis.

Inſcriptio novæ Montis Albani Portæ.

CIve ſuo defenſa ſatis, quas muniit olim,
Urbs decorat tutas Lodoico Principe portas.

Perhumaniter exceptus Author in Bolbonenſi Monaſterio, rogatuſque inſcriptionem novo ædificio apponendam elaborare, hanc diſcedens reliquit.

BOlbonii nova Cœnobii qui mœnia laudas;
Ingredere, & priſcos magis admirabere mores.

Inſcriptio Pomœrii Carthuſianis dati à civitate Toloſana.

CArthuſiis turres ſeptem, Pomœria, muros,
Non inconſultâ mente Toloſa dedit:
Stabit enim pars hæc urbis firmiſſima, juges
Pro populo fundet dum pia turba preces.

Sub Statua D. de Campiſtron in Porticu Toloſana, alias inter Illuſtrium Toloſatum Statuas, poſita.

HIc tragicis peperit decus immortale Camœnis;
Et tamen illa fuit laudum poſtrema; virique
Qui mores novere probos, pietatis & æqui
Pectus amans, rerumque capax & ad omnia promptum
Officia ingenium, vix laudavere Poëtam.

Loquacis Epitaphium.

ÆTernùm ſilet hoc tandem ſub marmore, vivus
Qui nunquam ſiluit: Superi dent illius umbræ,

Quam moriens noſtris dedit auribus ille quietem.

Turtur Mariti tumulo ab uxore appicta.

HOc doleo quòd mœſta dies ſine conjuge ducam.
Morſque viri gemitus & mea vita cient.

Pugetii Lugdunenſis clariſſimi Philoſophi
EPITAPHIUM.

HIc jacet urbis amor Pugetius : illius arte
Eruta, quæ lucem Natura recepit, eodem
Sub tumulo latet in veteres revoluta tenebras.

EPITAPHIUM.
PRINCIPIS TURENNII

Qui obiit Argentorati natus annos decem & novem, triduum poſtquam uxorem duxerat Caſimiri Regis Poloniæ Neptem.

OCcidit in vitæ primis Turennius annis
Jam tum Bulloniæ ſpeſque decuſque domi.
Ipſe genus Regum, regali ſanguine natam
Tres ſibi connubio junxerat antè dies.
Pompa eadem ad feſtas ædes tumulumque reduxit;
Et fax una fuit funeris atque thori.

De

EPIGRAMMATA

Ad clariſſimum Pugetium Lugdunenſem de magneticis ejus experimentis.

ORe manuque doces nigri miracula ſaxi :
Alterutro poteras abſtinuiſſe modo :
Si quis enim audierit, jam non exempla requiret ;
Si videat, vel te cauſa ſilente patet.

TRADUCTION DU P. BIMET JESUITE.

QUe ta voix ou ta main nous montre les merveilles
Que tu découvres dans l'Aimant ;
L'une à nos yeux, l'autre aux oreilles
Se font entendre également.
Ce que ta voix nous veut apprendre,
Ta main nous le fait concevoir :
L'œil ſans l'Oreille peut entendre,
Et ſans l'œil l'Oreille peut voir.

Autre Traduction de Mr. de Grygni.

D'Une voix inſtructive & d'une main ſçavante
Etaler de l'Aimant la vertu ſurprenante,
Puget, c'en eſt trop à la fois ;
Epargne ta main ou ta voix :
L'une des deux ſuffit pour faire tout comprendre :
Ta voix nous fait tout voir, ta main fait tout entendre.

Autre Traduction de M *.*.

Quand tu veux de l'Aimant expliquer les merveilles,
Tes éloquens diſcours & ta ſçavante main
Charment nos yeux & nos oreilles:
Mais l'un des deux ſuffit pour ton deſſein;
Sans ta main ton diſcours à nos yeux les expoſe:
Sans ton diſcours ta main en explique la cauſe.

Ad D. de Largilierre Regiæ Pictorum & Sculptorum Academiæ Rectorem.

Pingendo ſic ora refers; ut & ipſa tabellis
Non deſint, oculo judice, verba tuis.

AVIS HYEME NIDIFICANS

Ad illuſtriſſimum D. de Riquet Præſidem infulatum.

Spectat avis, Riquete, tuas ſub fornice Citros,
Floriferiſque putat ver hyemare locis.
Credidit & Veris comites redeuntis Amores
Ludere, & auricomum pervolitare nemus.
Ibat Progenies tua Citros inter, Amorum
Conſimilis: vultûs forma fefellit Avem.
Ipſa tuos inter Natos Cythereïa Mater
Vix ſobolem pulchro noſſet ab ore ſuam.
Ergo veris opus, media inter frigora, cœpit
Sub viridi luteos ponere fronde lares,

Naturam, Riquete, tuis ars fallit in hortis,
  Æmula quam reliquis vix imitatur agris.

Ad Illuſtriſſimum virum Dominum Joſephum de Caulet in Senatu Toloſano Præſidem infulatum, de gentilitio ejus ſtemmate, Leonem cum tribus ſyderibus referente, additis hiſce verbis Virtute & lumine.

SPectandus virtute Leo tribus additus aſtris,
Hæc tua ſunt, Præſes, quatuor quæ fratribus aptè
Stemmata conveniunt: pleno tu lumine fulges;
Dumque minor natu radiis primoribus alter
Emicat; auguſtam ſplendenti tertius Aulam
Luce replet; quartuſque ruit per tela, Leonis
Inſtar, in adverſas acies; armiſque Togâque
Clara domus, qualem ſeries tranſmiſit avorum,
Perſtat adhuc, *virtute* potens, *&* *lumine* fulgens.

AD EUNDEM.

Poſt natum ſibi filium primogenitum. Kalendis Januariis.

QUos aliis cupio, fauſtos tibi gratulor annos:
  Nullus laude, novo nullus honore caret.
Nec tibi, nec toti tamen alter amœnior urbi,
  Signanduſque notâ candidiore fuit.
Filiolum primo tibi conjux inclyta partu
  Quem dedit, hunc natum plebs putat eſſe ſibi.
Jamque Patrum ſacer ordo novo ſplendore, futuro

Jam populus juris vindice geſtit ovans.
Ante alios gaudent, & ſpem ſub pectore Muſæ
Non dubiam decoris, præſidiique fovent.
Multa vovent puero: Patri ſi filius olim
Par fuerit, votis uberiora dabit.

AD EUNDEM

De filia ejus bimula hortum floribus conſitum apud nutricem obambulante.

TUam filiolam fragrantis horti
Pictas areolas obambulantem
Contemplantur Apes, procul remotis
Florum quas odor advocarat agris;
Deſpexere Thymum, Roſas, Ocellos,
Citrum, Lilia; pulchrioribuſque
Tuæ filiolæ fritinnientes
Conſedere genis: ſed innocenti
(Ne palle pater) oſculo tenellas
Delibant cupidæ genas; ſuumque
Errorem querulo fatentur ore:
Hac uſâ revolant leves rapinâ;
Jam nec floribus inſidere gaudent,
Suum queis adimit decus puella.

DE EADEM

Paucos poſt dies mortua.

TU, quam floribus elegantiorem
Paucos ante dies Catullianis

Canebam modulis, ſuper feretro
Inter languidulos jacesne flores?
Nuper deliciæ tui Parentis,
Nunc deſiderium. Roſæ nitentis
Formoſum decus æmulata vultu,
Ut ævo quoque perbrevi caducos
Refers heu nimiùm Puella flores!

Ad R. P. Bellati è Societate Jeſu, Reginæ Hiſpaniæ à Confeſſionibus, cùm ab Authore petiiſſet carmina quatuor in laudem Reginæ, quæ Toloſæ ab itinere quieſcebat.

QUatuor in laudem Reginæ carmina poſcis:
Dic age quid faceres, ſi te quis fortè rogaret,
Illiùs ut quatuor peragrares regna diebus?
Atqui regna, licèt ſub utroque jacentia ſole,
Maluerim pede, quàm verſu decurrere laudes,
Quas ſecum conjux fert dotatiſſima Regi.

TRADUCTION DU P. J. AUGUY Jeſuite.

ILluſtre & cher ami, tu veux qu'en quatre vers
Je trace le portrait de ton Auguſte Reine:
Toy-même en quatre jours parcours tout l'Univers
Pour voir tous les Etats dont elle eſt Souveraine.
J'aimerois mieux pourtant, s'il dépendoit de moy,
Faire le tour de ſon immenſe Empire,
Que d'entreprendre de décrire
Les vertus que pour dot elle porte à ſon Roy.

De politiſſimo ſcriptore.

VIlia quæque, Midas alter, ſplendeſcere cogit;
Inque viri fiunt aurea quæque manu.

Illuſtriſſimo Amico meum de ſe ſilentium per Epiſtolam conquerenti.

CUr tua, quæ celebrant alii, præconia ſolus
Non peragam, proprii nominis obſtat amor.
Reſpondere tuæ cùm tenuia carmina famæ
Non valeant, malo conſuluiſſe meæ.

Anna Angliæ Regina, pacis conciliatrix.

ANna ſuum abſolvit ſexum: dat fœmina pacem,
Quæ mala bellorum ſemper origo fuit.

Ad Conſtantinum Magnum cùm Maximianus, poſt impetratam veniam, ſeipſum occidiſſet.

QUam dederas veniam, ſibi juſtior abnegat hoſtis;
Teque ſuâ invitum vindicat ipſe manu.

Ad Romanum Conſulem.

NUnc demum trabeam cum Faſcibus accipis: idem
Et tibi ſummus honor deerat, & Imperio.

Ad celebrem Cauſidicum.

NOn modò quas peragis vincit facundia cauſas,
Sed facit ut judex gaudeat eſſe bonas.

De Uxorum pietate.

MAtribus ignoſcens capta Conradus in urbe,
Cædere fatali cogitat enſe viros.
Exilio multans agmen miſerabile Matrum,
Quantùm humeris poſſent tollere, ferre ſinit.
Sprevit opes pia turba datas; flexoque maritum
Subjecit collo fœmina quæque ſuum.
Movit onus Regem; & ſontes à morte reduxit
Uxorum pietas ingenioſa viros.

Ad Mariam Reginam Galliæ de Sereniſſimo Delphino.

VIdi Verſalias; imagineſque
Paſſim marmore vel colore ductas
Videns obſtupui: tuas, Maria,
Sed cùm delicias decuſque Regni
Delphinum, roſeo decore vultûs
Vincentem Charites Cupidineſque,
Conſpexi ſemel; excidit locorum
Admiratio; nec perambulare
Hortos ampliùs aut domum juvabat;
Delphini repetens ſed uſquè cunas,
Uno lumina Pupulo relictis
Paſcebam ſtatuis. Dat intuentum
Se deſideriis; amabilique
Reſpondens oculo, ſuum viciſſim
In Gallos ſtudium, ſuos amores,

Quos linguâ nequit expedire, vultu
Jam nunc explicat eloquentiori.

EPIGRAMMATA SATYRICA.

De Carmine Typis edito.

CArmina quæ, Fabio recitante, libentibus omnes
Audierant animis, edita nemo legit.
Cur operis prælo fluxit decus? edere blandos
Non potuit Fabius, quos dabat ore, ſonos.

Ad Cenſorem cultiſſimi Poëtæ.

HOc credis peccare, nihil quòd peccet: eunti
Nunc via mollis, ais, nunc ſalebroſa placet.
Illius ergo tuos ſcriptis interſere verſus;
Ut te perfectum judice fiat opus.

Ad Philoſophum contendentem animas non eſſe in corporibus.

QUi neſcis ubi conſtituas quam corpore mentem
Ablegas; priſcis, quæſo, relinque locis.
Tu vanos ſine mente ſonos qui ſæpius edis,
Eſto animam dicas corpore abeſſe tuo.

Ad Senem ſuorum temporum laudatorem.

QUod quereris, non cuncta ruunt in pejus; at
ægris

Cuncta, ſenex, oculis deteriora vides.

De Viro loquaciſſimo qui inter concionandum, labente memoriâ, mutus hæſerat.

PUlpita cum Fabium vidi jam ſacra tenentem,
Quàm timui notum garrulitate virum:
Vix præfatus erat, cùm rerum oblitus & excors
Siccis tunc primùm faucibus, hæſit hians;
Si Fabium vexet poſthac vis improba fandi;
Ad populum coges, ut premat ora, loqui.

De imagine ejuſdem Fabii qui inter concionandum mutus hæſerat.

IMago Fabium refert; & ori
Deeſt vox unicâ: Pulpitum tenere
Hunc jures & habere concionem.

Ad ſcriptorem Satyricum.

DUm placeas, nihili pend's quàm noxia telis
Lingua venenatis obvia quæque petat.
Inde tua eſt, ſcriptor veſane, ſuperbia: Fungus
Et placet, & majus fundit in oſſa malum.

De concionatore impio.

AD lacrymas movet orator; qui recta monendo,
Cùm ſapiat reliquis, non ſapit ipſe ſibi.
Falſane quæ loquitur putat eſſe? ſuumve dolore
Alterius credit poſſe piare ſcelus.

De Fabello narratore.

TEmpora narrator meminit qui priſca Sabellus
Et totidem verbis reſque locoſque refert.
Non meminit pariter nobis quòd ſæpius iiſdem
Illud idem paucos dixerit ante dies.

Ad Chloen. Ex Cicerone.

EXegiſſe, Chloe, ſex te quinquennia dicis:
Quinque quod à luſtris audio, credo Chloe.

Ad Vetulam fœminam fucatamque.

INformem quæ fingis, anus, ſub funera vultum,
Manibus infernis credo placere cupis.

AD EANDEM.

CUr ſpeculi fucata tumes ab imagine? larvam,
Non vultum, reddunt lucida vitra tuum.

Ad fœminam inauratâ pallâ indutam.

AUro tota rigens dic, quæſo, Fœmina, pallis
Quo tibi texendis uteris Aurifice?

De malo cauſidico.

SOllicitus de lite fui: pro parte loquetur
Adverſa Fabius: jam mea cauſa bona eſt.

Ad Cauſidicum obſcurè loquentem.

CUr nos obſcurâ verborum ambage fatigas
Cauſidice? audiri ſi vereare, tace,

Ad quemdam amantem nuntiare triſtia.

TRiſtia qui lætus fers nuntia, ſcito quòd ægris
Diſplicet ipſe, datur quo medicina, calix.

Ad publicanum & exactorem,

UT bibit, & potos queis plenior intumet, imbres
Mox durâ revomit ſpongia preſſa manu:
Non aliter tibi quas miſeris, exactor iniquus,
Extorques populis, elicientur opes.

De duobus authoribus.

MÆvius illepidos, cultos Melicerta libellos
Edidit: hic famæ ſcribit, & ille fami.

De priſcis Romanis.

ÆQui Romuleo nil Cive tenacius; orbem
Dum premit injuſto Roma ſuperba jugo.

Ad virum nobilem.

CUm voco te nequam; vir, ais, ſum nobilis: eſto
Quid quereris? Proavis non maledico tuis.

Ad inſulſum Poëtam.

SI non ingenii ſatis eſt ut carmina condas;
Carmine ut abſtineas; ſat rationis habe.

De ſcriptore ingenioſo, ſed parum cordato.

FElix, ingenio ſi quæ confuſa profundit
Ubere, judicio diceret alterius.

EPIGRAMMATA MORALIA.

Ad Idolorum cultorem.

QUi vanum Pario fingis de marmore ſignum;
Dic quâ mente colas, quem facis ipſe, Deum?

De Idololatrarum ſacrificiis.

PRo grege Daphnis Oves monitus mactare tuendo:
Quid refert Lupus an Jupiter, inquit, edant.

De Fortuna.

FOrtuito fieri contendimus omnia caſu:
Fortunam quàm nos malumus eſſe ream.

De Laudibus.

LAudari licèt à laudato Cive decorum eſt;
Dulcior à populo laus & ab hoſte datur.

De fœminarum cultu.

MAtronis gemmæ ſunt pro lictoribus: auro,
Splendida quo fulget veſtis, habetur honos.

Proverbium Italicum. L'univerſal non s'ingano.

VEra puta tecum quod totus ſentiet orbis:
Falluntur nec ab uno omnes, nec ab omnibus unus.

De urbis incendio.

INter magnificam nullamque interfuit urbem,
Flammis quam Phœbo clarior, una dies,

De

De Poëtarum inopia.

LAudatos dat longa viros in ſecula Vates
Vivere; nec, vitam quo tueatur, habet.

Exempli vis.

INcrepat exemplo virtus quoque muta ſceleſtos:
Inde malis oneri vir bonus eſſe ſolet.

De Regum clementia.

QUi populis dat jura, ſuæ Rex imperet iræ;
Et quò plura poteſt, audeat ille minùs.

De viris principibus.

CAutior ad Proceres, ut ad ignem, accede: perurunt,
Si propiùs, ſi vis longiùs eſſe, riges.

De Vulgi Audacia.

LAxior audacem facit indulgentia plebem:
Ni paveat, dominos territat illa ſuos.

De Beneficiis.

JUngit amicitias meritum leve: magna, referre,
Quam nequeas, odium gratia ſæpe parit.

Ita in Deo ſpes omnis reponenda, ut operi tamen parcendum non ſit.

VOta pius facit, in precibus quaſi cuncta reponat:
Rem gerit, in manibus ſit quaſi tota ſuis.

Bello virtus acuitur.

VIcta magis nocuit, quàm victrix Africa Romæ.
Quæ virtus alitur Marte, quiete cadit.

Adverſa fortiter ferenda.

FOrtunam abſolvit, caſu qui fractus acerbo
Novit in extremis nil niſi flere malis.

Ad Florem.

FAta dedere brevem tibi vitam, floſcule: longos
Invidet & nobis Parca maligna dies.
At tu qui moreris, verniſque renaſceris idem
Cum Zephiris, fato quàm meliore cadis!

De Veſuvio monte.

QUi gelidis canet nivibus Veſuvius, idem
Mons alit & flammas interiore ſinu.
Mentitâ norunt facie ſi fallere montes;
Quid factura virûm ſubdola corda putas.

Pares eſſe hominum conditiones.

OMnia dat Deus æqua viris: ſua ſi bona norint,
Felices condent dives inopſque dies.
Pauper enim, quos dives amat, nil curat honores:
Quas alius cogit, non eget alter opum.
Dives habet Medicos; qui, ſi non corpore febrem,
Deducunt animo tædia, ſpemque fovent.
Pro Medicis inopi ſunt ſobria menſa, laborque:
Arte cibos dives condit, inopſque fame.

De Senectute.

NIl ſtabile eſt: pereunt labentibus omnia luſtris;
Jus & in ipſa ſuum marmora tempus habet.

Admiranda magis corpuſcula noſtra, tot annos
Quòd ſteterint, quàm quòd debilitata ruant.

De Virorum Illuſtrium caſu.

TEmpla ſolo velut æqua, virûm, quæ ſola ſuperſunt
Rebus in afflictis, nomina magna cole.

Auguſtus domeſticis curis æger.

IMperio maria & terras qui ſubdidit, orbis
Non potuit Princeps imperitare domi.

Rex dicacitatis abſtinens.

ACribus abſtineat dictis, nec acerba jocetur,
Qui paribus princeps non patet ipſe jocis.

Henricus IV. Galliæ Rex.

SUeverat Henricus mutatâ veſte, latenter
Quærere quis de ſe rumor in urbe foret.
Inter adulantes Rex verum noſſe, ſuâque
Laude poteſt aliâ vix ratione frui.

De brevitate vitæ.

VItæ ſumma brevis; volucribuſque
Rotis præcipites feruntur anni.
Extendis cupidè ſequens in ævum
Quod lucis ſupereſt; ſed illud ipſum
Non promptâ minùs evolabit alâ.
Inſtat ponè ſequens, & occupabit
Te Mors quâ minimè putabis horâ:
Qui vitam volet eſſe longiorem:

Annorum numerum labore ſupplens,
Probet ſe Patriæ; boniſque famam
Quærat moribus; & ſibi ſuperſtes,
Quem Natura brevem dedit, merendo
Vitam proferat; & retro futuros
Factis vivat adhuc apud Nepotes.

Homines Libris & ſtudio beati.

FElix qui ſtudio libriſque gaudet;
Quorum colloquio domi fruatur;
Quos quantùm placet audiat docentes;
Et quos, tædia ſi ferant, volentes
Volens abjiciat: ſuos ut ille
Dies lætus aget? loquacitatis
Securus nimiæ, minùſque nunquam
Solus, quàm ſibi cùm relictus uni,
Ad vitæ comites libros redibit.
Hoc hortor ſibi litteratus omnis
Malis præſidium paret futuris,
Et gratum vacuis levamen horis,
Deſpectæque viaticum ſenectæ.

Qui Liber optimus.

ILlum præ reliquis ama libellum,
Quem tecum relegant probentque docti;
Tecum intelligat imperita turba,
Quem bis terque legas; manuque ſemper
Reſumas avidâ; ſales novoſque,
Quò plus triveris, eruens lepores.

Nugis non tumeat ; magiſque rebus
Quàm verbis placeat : laboriosâ
Lectorem brevitate nec fatiget ,
Verborum neque prodigâ nitentum
Ubertate gravet : Roſæ ſed inſtar ,
Quæ formoſior explicatiores
Nec frondes aperit, nec involucro
Suas celat opes iniquiori ;
Sic nec pauca nimis liber loquatur ;
Lectori neque nil relinquat , acri
Quod per ſe velit extudiſſe mente.
Tales difficili parit labore
Libros ingenii vigor ; remiſſo
Quos dein impete , diligens litura
Coërcet toties ; novem ut dierum
Opus vix poliat novem per annos.

Marius è milite factus Imperator ad Invidos.

QUòd nec dives opum , domo nec ortus
Clarâ , militiæ gradus per omnes
Armorum decus attigi ſupremum ;
Solent carpere dente me maligno
Qui luxu vitiiſque diffluentes ,
Sic vivunt quaſi reſpuant honores :
Sic rurſum , quaſi vixerint honeſtè ,
Virtutis pretium ambiunt ſuperbi.
Qui noſtræ volet invidere laudi ,

SAPIENTIUM DICTA.

Alexander ad milites ſuos numeroſo Darii exercitu perterritos.

VIrtuti cedit numerus: quò gloria ducit,
Ite: Leo multas non timet unus Oves.

Idem Alexander ad Miniſtrum graviora tributa imperantem.

FRondibus uſque novis fruticans, quod ſæpe renatum
Attondere potes, cur malè vellis olus?

Alphonſus Aragonum Rex.

JUnior Alphonſum Princeps cùm fortè rogaret
Conſilii ſocios quos amet eſſe ſibi.
Malo libros, inquit, quos nec reverentia, nec ſpes
Atque metus verum diſſimulare jubent.

Alexander VII. Pontifex maximus.

REgna aliena premens Gallorum exercitus olim
Flandriacis hyemem victor agebat agris.
Rerum inopes Gallos, exhauſta æraria, Romæ
Cùm caneret vanâ ſpe tumefactus Iber:
Contudit Hiſpanos faſtus, hæc pauca reponens,
Chriſtiadum dominæ qui pater urbis erat.
Vera quidem loqueris: ſua ſumptibus agmina veſtris
Non aleret Lodoix; ni foret æris inops.

Apelles de Alexandro, quem Equo inſidentem cùm pinxiſſet; adhinniit Bucephalus viſâ imagine, quam non laudaverat Alexander.

QUem pictum videt ac ferocientem
Hinnitu Quadrupes Equum frequenti
Laceſcens, oculos Hero ſilente
Et ſenſus habet eruditiores.

Nihil auro inexpugnabile.

ALta Macedonio quondam expugnanda Philippo
Cùm foret arx ipſo vix adeunda ſitu:
Vincemus tamen hanc, inquit, modò poſſit onuſtus
Argento durum vincere Mulus iter.

Cùm Pirrhus increparet milites quos ſibi maledicentes audierat, unus omnium culpam diluit.

AUdierat Pirrhus quos inter pocula Miles
In Regem jaceret non ſine felle jocos:
Multa minabatur Princeps, cùm cautior unus
Sic auget Miles crimen, ut extenuet:
Audiſſes pejora, mero niſi fervida poto
Lingua refrixiſſet, deficiente cado.

Phocio, de vulgi plauſu.

ORabat cauſam Phocio: plebs infima cœptum
Sermonem abrumpens, plaudit utrâque manu:
Hæret, & ad fidum Phocio converſus amicum,
Fare age, dic pravi, quæſo, quid exciderit.

Piſiſtratus ad ſuos filios.

DUm thalamum tædaſque novas Piſiſtratus olim
Apparat; hunc adeunt Nati; genibuſque voluti
Suppliciter, quid tantùm in te commiſimus, aiunt,
O pater? Ille bonis contrà ſic moribus, inquit,
Ingenioque mihi placuiſtis & indole, Natos
Ut veſtrî ſimiles nova per connubia quæram.

Bias ad ſceleratum vectorem qui inſtanti Naufragio Neptunum inclamabat.

IMpius irato facit æquore vota: precantem
Dicitur his verbis increpuiſſe Bias.
Quin tua vota premis, ſcelerate? peribimus omnes,
Æquoreus ſi te norit adeſſe Deus.

Anaxagoras quærenti amico velletne Clazomenas in patriam referri poſt mortem.

DIc age, Anaxagora, cùm mors diſſolverit artus;
Men! tua Clazomenas oſſa referre jubes?
Corpus humo quâcumque voles, ait ille, repone;
Undique tantumdem eſt Tartara ad ima viæ.

Socrates morte damnatus ad uxorem.

IMmeritam quæ fles, uxor cariſſima, vero
Crimine num malles me meruiſſe necem.

Senator Athenienſis cùm Alexander inter Deos referri vellet.

POſtulat adſcribi demens in Numina Princeps;
Imperio terras qui graviore premit.

Tollendum, Cives, hominem donemus Olympo;
Tutior ut dulci pace fruatur humus.

Spartanus miles increpitus quòd in aciem claudus deſcenderet.

HOrrida cùm rueret brevior pede Miles in arma;
Dux ſemotum acie caſtra fovere jubet.
Nil refert ſim claudus, ait, dum pectore firmus:
Stat conferre manum, non dare terga fugæ.

Cicero ad Cæſarem ſatis ſe vixiſſe dictitantem.

SAt vixiſſe putas: vitam non ſole, triumphis
Sed numeras; viſa eſt ſi tibi longa ſatis.
Nil equidem laudi juvat ultra vivere, Cæſar;
Sed qui vixiſti ſat tibi, vive tuis.

Auguſtus moriens ad amicum collacrymantem.

VIta peracta mea eſt; & ſi malè Principis egi
Perſonam, lacryma: ſi bene, plaude manu.

Otho invitatus ad cœnam, cum verſaſſet piſcem, quem ſemeſum appoſuerat Cæcilianus.

SEmeſum, quem Convivis dabat hoſpes avarus,
Verſat Otho piſcem, prodigiumque canit.
Feſtinemus, ait, piſcem jam pene vorarunt
Quos ſubcœnantes Cæcilianus habet.

Tacitus ad Senatum, poſt denegatum fratri Conſulatum.

HÆc Tacitum, ambitos fratri cùm Curia faſces
Non daret, effatum Principe digna ferunt.

Non valuiſſe preces lætor : laus maxima juſti
Imperii eſt, domino poſſe negare ſuo.

Maximianus cùm nimia ejus liberalitas redargueretur.

MAximianus opum largitor, parcere fiſco
Munéribuſque modum ponere commonitus;
Sum cuſtos hominum, dixit, non æris & auri;
Et ſat ero populi dives amore mei.

Cato ad amicum demirantem quòd nullam haberet Roma Statuam.

MAlo, mihi ſtatuam cur non poſuere, viator
Exquirat; quàm ſi, cur poſuere, roget.

De eodem Catone qui Pratoritiam repulſam acceperat.

QUòd ſummos Cato non tulerit Prætoris honores,
Ejus te miſeret, præteritumque doles,
Me miſeret Romæ: neque enim Prætura Catoni,
Sed mage Præturæ defuit ipſe Cato.

Curius Romanorum Imperator cœnabat olus, cùm Samnitum legatus fidem ejus tentavit, oblatâ grandi pecuniâ.

CUm cœnantis olus Curii per grandia ſacram
Munera tentaret miſſus ab hoſte fidem;
Dona refer, dixit, tanto non indiget auro,
Rapula cœnanti cui ſatis eſſe vides.

Sylla ad milites acie refugientes.

ACcelerate fugam: pedibus non enſe ſalutem
Quærite: ſi Romam ſuaſerit ire pavor;

Dicite Romulidis quanto in diſcrimine belli
Non puduit veſtrum deſeruiſſe Ducem.

Moriens Pater ad Filium quærentem quo loco theſauros haberet reconditos.

A Patre quærebat Natus quâ parte domorum
Vel quo Theſauros occuluiſſet agro.
Indecores patrio curas ſub funere damnat,
Quæſitiſque Parens utiliora docet.
Quas exquiris opes, tutas à furibus, inquit,
Has in amicorum pectore depoſui.

Ruſticus de oratore.

AD populum dicens inſignia geſtat honorum
Protoſilas: unâ concio veſte nitet.
Ruſticus audito plauſu, me judice, dixit,
Quadrupedis pretium penditur ex phaleris.

Ad Sartoris filios.

QUos geminos habuit Natos ditiſſimus auro
Per ſummas Sartor nobilitarat opes.
Neſcio quid fratres inter Vatemque dicacem
De Plauti obſcuro carmine litis erat.
Cedenti ſimilis, victumque Poëta modeſtè
Se confeſſus, acu rem tetigiſtis, ait.

Ciceronianum dictum

Hiſpanorum Dux ad Brutum.

BÆticolis magnam argenti vim Brutus & auri
Imperat: hac pacem conditione facit.
Indecorem pacis legem indignatur Iberus

Ductor

Ductor, & hæc forti pectore pauca refert.
Quo libertatem redimat, nil poſſidet auri
Gens mea; ſed ferrum, quo tueatur, habet.

Ad Syllam.

CUm Sylla oppiduli damnatis civibus, unum
Exciperet letho; maluit ille mori.
Nolo, inquit, ſupereſſe meis, debere nec illi
Vitam, quem pietas non redamare ſinit.

Craſſus ad Milites ſuos.

DEſperatis opem Divûm, mihi ſacra paranti
Fortè quòd exciderint aurea vaſa manu.
Augurio meliore metum deponite: nunquam
Hic gladius noſtris excidit è manibus.

Julius Cæſar.

E Rate deſcendens, Getulis Cæſar in oris
Pronus in humentem cùm cecidiſſet humum;
Ne quid militibus ſit res habitura ſiniſtri
Ominis, ingenio dexteriore cavet.
Africa dives opum, teneo te denique, dixit;
Et Lybicæ amplexum ſe dare fingit humi.

SCIPIO ACCUSATUS.

COram plebe ſuam defendens Scipio cauſam,
Hac reus impoſitum diluit arte ſcelus.
Romulidæ, meminiſtis eâ quòd luce ſuperba
Carthago, belli me Duce, victa fuit.
Ergo Tarpejam ſimul aſcendamus in arcem;
Annua debetur victima ſacra Jovi.

His dictis praeuntem Scipionem ſecuti ſunt omnes; ſolusque non ſine pudore remanſit accuſator.

Franciſcus I. Rex Galliæ ad Reginam poſt profligatum in Italia exercitum ſuum.

CUncta ferox uno nobis certamine Mavors
Eripuit: ſupereſt integer unus honor.

Henricus Magnus Galliæ Rex ad Aulicum ſuadentem ut tolleret quos ſibi habebat infenſos.

QUin tollo domitos hoſtes, ais? obſequar: hoſtes
Tollit enim, meritis qui redamare jubet.

Idem rogatus ut ſubſcriberet capitis ſententiæ in virum nobilem latæ, ita reſpondit.

ABſit ut adſcribat mortem, quæ neſciit hoſtes
Hæc niſi per medios eſſe cruenta, manus.

Ludovicus Magnus ad D. de Boucherat Galliæ Cancellarium, cùm illum ſupremo Magiſtratu donaret.

MUnus habe, quod, ſi toto quis dignior alter
Eſſet in Imperio, non habiturus eras.

Idem de Vilarſio quem Legatum de pace mittebat.

HUnc ego mitto libens belli paciſque Miniſtrum,
Vincere conſilio qui ſolet atque manu.

Princeps ad Virum nobilem qui debitæ pecuniæ mediam partem dono ſibi dari deprecabatur.

QUam petis, emiſti jam nunc prece ſupplice partem:

Debita quæ ſupereſt altera, dono libens.

Guiſius ad procuratorem ſuum ſuadentem ut magnam ſervorum partem dimitteret.

NOn equidem famulis, quos me dimittere velles,
Indigeo; ſed eget turba miniſtra meî.

Idem ad Sicarium hæreticum.

INcautum tua Relligio me fallere ferro
Suaſit, ais; tibi me parcere noſtra jubet.

Bacco Angliæ Cancellarius ad Eliſabetham Reginam, quæ domum Bacconis anguſtiorem eſſe dicebat.

O Regina meos dignata ſubire Penates,
Quam colo viſa tibi eſt arctior eſſe domus.
Quæ fuerat ſatis ampla mihi Patribuſque; benignè
Tu facis ut domino ſit minor illa ſuo.

Legatus ad Regem periculoſam Legationem imperantem.

IRe jubes: ſi fortè mihi caput amputet hoſtis;
Ultor, ais, capitum millia multa metes:
Sed noſtris, dic quæſo, caput cervicibus aptum,
Inter tot capitum millia, num quod erit?

Adrianus factus imperator ad eos, quos privatus ſibi infenſiſſimos habuerat.

QUos, privatus adhuc, hoſtes Adrianus habebat,
Securos jam nunc Principis eſſe jubet.
Non potui ſatis antè, volens vos perdere: poſſum
Jam nimis; ut vobis, inquit, obeſſe velim.

Pictor interrogatus cur egregiè pictam imaginem emendaret.

QUæris in egregia quid ſemper imagine mutem;
Quidve tot annorum nobile peccet opus.
Naturam longâ ſequor anxius arte; noviſque
Corrigitur curis cura, labore labor.

Niſæ interitus.

NIſa peroſa diem, nodoſo fune ligavit
Guttur, & ex Fico triſte pependit onus.
Uxoris vir fata dolens, incendia ramis
Admovet arboreis, ut piet igne nefas.
Mopſus adeſt; Ficoque novum qui pendet ab alta
Miratus fructum, talia verba refert.
Siſte precor, toto quâ nulla feracior horto eſt,
Me liceat Fici germen habere tuæ.
Si quando poſitâ mihi pendeat arbore fructus
Conſimilis; quantas afferet hortus opes!

Vir nobilis ab anguſto Italiæ principatu intra Triduum exulare juſſus. Ad Principem.

TRes quatuorve dies das humaniſſime Princeps,
Pulſus ut à Regni finibus exul eam.
Gratia magna quidem eſt: etenim quòcumque placebit
Ire mihi, juſſæ ſufficit hora viæ.

Dyoniſius ad Ariſtippum Philoſophum.

DIc age, cùm Regum nullus vos viſere curet;
Regia tecta frequens cur Sophus omnis adit?

Reſponſum Ariſtippi ad Dyoniſium.

NOn æger Medicum, quanvis eget illius, ægrum
Sed Medicus contrà viſere ſæpe ſolet.

Juxta alios reſpondiſſe fertur.

SI noſſent ſibi quid deſit Princepſque Sophuſque;
Alterius pariter quæreret alter opem.

BEATO REGIO E SOCIETATE JESU.

HYMNUS.

VIRTUTIS, ô modeſtia,
Cuſtos decuſque! Regio
Spretis virûm pro laudibus
Quantam rependis gloriam.
Plauſus & urbes effugit;
Trahitque cives oppidis;
Feraſque ſolitudines
Præſens frequentat Regius.
Morum magiſter eloquens
Sermone mentes erudit;
Levatque morbos, arbiter
Tuæ, Deus, potentiæ.
Iræ miniſtram vindicis
Famem removit urbibus;
Gelu peremptas horreis

Meſſes precando retulit.
Jubente ſtat Mors Regio;
Solemque cæcus obſtupet;
Mutuſque laudes Numinis
Linguâ ſolutâ prædicat.
Quam languidis mortalibus
Opem ferebat Regius,
Pulvis ſepulchri ſufficit,
Fugare morbos efficax.
Huic templa ſurgunt aurea;
Orbiſque ſupplex accidit,
Qui vivus inter Pauperes
Caſas colebat ſordidas.
Sit laus Patri, ſit Filio;
Sit & tibi laus, Spiritus,
Dono tui qui Numinis
Obſcura gaudes promere. Amen.

SANCTIS MARTYRIBUS.
Nazario & Celſo, Bliteræ urbis Patronis.

HYMNI.

AD VESPERAS.

DIvo recurrit Martyri
Sacrata lux Nazario:
Honore templa thureo,
Votiſque flagrent pectora.
Vitæ canamus prodigum,

Pœnaſque fortem ſpernere ,
Et fortiorem Barbaris
Lethi miniſtris parcere.
Aquis puer luſtralibus
Purgatur ; & quos hauſerat
Romanus altos ſpiritus ,
Aris Deoque devovet.
Divina verbi ſemina
Solo refudit uberi ;
Facemque primus inferens ,
Orci tenebras depulit.
Rerum potenti gloria ,
Patri ſit æque Filio ;
Tibique , robur Martyrum ,
Honor ſit , alme Spiritus. Amen.

AD MATUTINUM.

FUſo palam Nazarii
Cruore , ne repullulet
Seges beata Martyrum ,
Cædes per ipſas auctior ;
Illum remotis arbitris ,
Mari ſub alto mergere ,
Simulque vitam cogitant
Decuſque mortis tollere.
Sed Pontus iram colligens ,
Navem laceſſit impiam ;
Et ambulanti ſternitur

Uni quietus Martyri.
Chriſti cadentis æmulus
Martyr procellam comprimit :
Pro deſtinato funere,
Vitam rependit hoſtibus.
Pacator æſtûs turbidi,
Mentem ſerena nubilam ;
Et inquietos fervidi
Seda tumultus pectoris.
Rerum potenti &c.

AD LAUDES.

CElſum canamus Martyrem ;
Et quos amoris mutuo
Mens una junxit fœdere,
Feſto colamus unico.
Sacris renatum fontibus
Sibi Deoque filium
Tenellulis Nazarius
Celſum ſub annis aſſerit.
Paratus unà commori,
Duci puer fortiſſimo
Fidelis hæret, moribus
Vitâque Chriſtum prædicans,
Minas Tyranni deſpicit :
Uni timet Nazario ;
Lætuſque dat, quod carnifex
Collum tremendo percutit.
Terris ſub altis, Martyrum
Sincera perſtant corpora ;
Viriſque Mors clementior
Parcit ſacrato pignori.
Rerum potenti gloria, &c.

EPISTOLÆ
PARISIIS TOLOSAM SCRIPTÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Ad D. de Reſſeguier in Senatu Toloſano Præſidem.

De Authoris itinere Pariſios, & de Bibliotheca Bercheriana quam lite perſequitur.

DONEC eras ruri, curis ſtrepituque forenſi
Liber, ad ingratas lites revocare quietum
Abſtinui; nunc cauſidicam patiere Camœnam,
Qui præbes rabulis etiam latrantibus aures.
Palladiæ pridem data Bibliotheca Toloſæ,
Implexiſque dolis nunc litigioſa, diſertos,
Quotquot habet cives ſtudiis urbs inclyta, tangit.
Hæc propè ſex fuerat lis indefenſa per annos;
Jamque diu mihi per ſomnos audire videbar
Bercherii Manes indigno facta querentes
Munera, qui finerem libros ſine lite ſub atro
Pulvere vel ſordere, dari vel Muribus eſcam.
Me, quem blanda tenent Muſarum caſtra, negabam
Ad rabidas lites & ad arma forenſia natum.
Grande rudes, ait ille, manus ad bella periclum
Erudit, & timidis vires animumque miniſtrat.
Aude aliquid: (a) legum & juris pro Rege ſupremus
Arbiter hoc blando mites ſub ſidere mores
Hauſit & excoluit ſtudiis: quæ publica feci
Munera, Tectoſagum felicibus aſſeret oris,
Inclyta queis debet tantæ primordia famæ.
Utraque regna tenet Phœbi Themidiſque, peritus

(a) Illuſtriſſimus D. DAGUESSEAU, qui primos juventutis annos egit in Occitania.

Juris, & eloquii Princeps; quo regia creſcit
Majeſtas dicente, ſuos ſtupet ipſa lepores
Pieridum Charitumque cohors, Aſtreaque terris
Conciliat ſeſe. Quas diligit ille, potenti
Præſidio Muſas, litemque tuebitur æquam.
  Talibus auſpiciis, uſu mihi cognita nullo
Miles ad arma feror. Vadimonia, quæque latinè
Reddere vix poſſim me barbara nomina terrent.
Inprimis odio eſt obtrudens ſæpe doloſis
Deformata notis chartarum ænigmata Lictor.
  Sed cùm multa mihi doleant, nihil acriùs urit
Depoſitæ quàm cura rei: ſperare ſalutem
Hortantur ſocii: poterant hortamina fractæ
Addere vim menti; triſtis niſi fortia vultus
Verba redargueret. Non vano mœſta pavebant
Corda metu: trucibus quæ Bibliotheca ſub haſtis
Nondum erat, hanc rauco venalem gutture paſſim
Jam proclamabat vicina per oppida Præco.
(*a*) Miſerat emptores opulenta Lutetia: noſtris
Quantùm olim ſceptris, populatrix Anglia tantùm:
Nunc libris inhians, illis quoque cogitat, auri
Prodiga, theſauros opibus ditare Britannos.
  Sic ubi Getulis ægerrimus incubat agris
Amiſſâ virtute Leo; cùm, mortis acerbæ
Nuntius, afflat odor; Corvorum exercitus ingens
Advolat, atque oculis & ovanti gutture prædam
Devorat impatiens, fato dubitante, morarum.
  Audit, & indignans avidos per inania tanto
Cum ſtrepitu ferri, atque anceps prævertere funus,
In media Leo morte jubas ſi fortè minaces
Erigit; effugiunt, ſpe dilabente, Volucres
Carnivoræ, queruliſque replent clangoribus auras.
  Non aliter, cùm diſcuſſo torpore vigorem,
Seriùs heu fortes, animoſâ oſtendere fronte
Cœpimus, in Patriam remeat ſpe luſus inani,
Qui citus ad noſtros properaverat helluo libros.

(a) Venerat Narbonam Bibliopola Pariſinus: venerant & Angli Bibliothecam empturi.

Ergo Pariſiacam, malè triſtis, iturus ad urbem,
Mœrentes ſocios Patriamque relinquo; meiſque,
Fortè reviſurus nunquam, valedico Camœnis.
Tertia lux prono curſu ventiſque ſecundis
Burdigalæ turres aperit; portumque tuenti
Viſa mihi è medio conſurgere ſylva fluento,
Quam viridi ſpoliavit hyems aſperrima fronde:
Maligeris tot pene latet ſub navibus amnis.
Egreſſum rate, more ſuo, me cepit amanter
Ingeniis, toto quàm mercibus orbe vocatis,
Ditior urbs. Sequor hinc æſtu remeante Garumnam;
Mox iter æquoreum terreſtri muto, ſonoris
Fluctibus antè, luto nunc obluctatus aquoſo.
Inter acerba, mihi quàm dulce ſodalibus urbes
Nomen per varias notum deferre, brevique
Heu nimis alloquio cruciantis tædia rhedæ
Cœnoſæque viæ duros recreare labores,
Pluribus eloquerer; niſi te famoſa moveret
Bibliotheca magis, deſideriumque ſciendi
Quo ſit cauſa loco, quæ ſpes affulget ab Aula:
Huc etenim è veſtro lis derivata Senatu eſt,
Ad regale forum; quod longo examine Regum
Cauſas excutiens, privatas expedit; unde
(*a*) Nomen habet, gratū mihi præſide Rege Tribunal;
Si deceat vaſti qui magna negotia regni
Conſiliis agitant, belli paciſque Miniſtros,
Ad tenuem longæque moræ deſcendere litem.
(*b*) Sunt alii delata ſibi qui maxima rerum
Judicia exercent cum principe, juris amantes
Conſultique viri, qui debita tempora cæcis
Litibus & poſſunt & amant impendere: cauſam
Vincere certus eram; ſi quos placuiſſet, ab illo
Legiferos aliquot Rex eligat agmine, litem
Qui longâ implicitam rationum ambage reſolvant.
Verſalias adeo; Themidiſque ſuprema tenentem
Imperia inviſo ſupplex. Ut ſcripſerat olim,

(a) Le Conſeil des Dépêches.
(b) Le Conſeil des Parties.

Comiter excepit ; Phœbo duce & auſpice Muſâ.
Dicenti placidas poſtquam mihi præbuit aures ;
Spemque dedit quam mox factis ſuperavit, omiſſo
Cauſidico, Vatem compellat ; quæque benignè
Addiderit, ſentire magis quàm dicere poſſim.

Quantus honor Muſis habitus, quæ gratia, mecum
Ipſe putans, cauſam ſtatui munire favore
Pieridum : (*a*) jubeo audaces penetrare Potentum
Limina, præcluſos domino perrumpere poſtes,
Tutarique ſuam litem : ſunt namque, negatos
Quos repeto, quaſi Caſtalidum patrimonia, libri.
Hortor ut auguſtis Aulæ ſe ſiſtere valvis
Non dubitent, adeantque ſuum columenque decuſque
Fleuriacum, quo Regem ipſæ docuere Magiſtro :
Qui quos imperii monſtraverat antè, labores
Solatur, graviora ferens nunc pondera rerum.

At nimium breve tempus erat : lux craſtina triſtes
Verſalias abitu Regis factura, ferebat
Ancipites eadem fluitanti in pectore curas.
Non poterant hæc prima meæ præludia cauſæ
Exactum niſi poſt menſem dirimenda referri.

Me rogat interea (*b*) Regi Linierus & Aulæ
Gratus, Verſaliis an & interiora domorum,
Deliciaſque foris ſim contemplatus, opeſque
Hortorum, & ſignis hominum Divûmque magiſtras
Hiſtoriæ ſylvas. Quid lite moleſtius, aio !
Aut quid ſorte meâ miſerum magis ! ambulo totis
Ædibus ; effigies, hortos, jaculataque ſurſum
Flumina cerno oculis, & litem mente voluto.
Prodigiis, quorum cupidiſſimus antè fuiſſem,
Vix moveor, cauſæ intentus. Tamen omnia vidi ;
Principe ſed nondum viſo, miracula mundi ;
Quid ſpectaſſe juvat me cætera. Veſpere ſero
Cùm peteret templum Lodoix & marmore & auro,
Sed magis ornatum Regis pietate precantis,
Principis aſpectu recreor ; ſperataque fauſti

(*a*) Nova Prædii ruſtici editio regiis Miniſtris data.
(*b*) R. P. de LYNIERES Regi à Confeſſionibus.

Illius in vultu relego præſagia regni.
Ædis ab egreſſu, qui proximus aſtat eunti
Fleuriacus Regi, ſua circùm lumina flectens,
Ut me permiſtum turbæ timidèque latentem
Vidit; *habes*, inquit, *totâ quod mente petiſti*,
Quale forum optabas. Satis hæc ad vota fuiſſent,
(Si tamen hæc avidis poteram quoque fingere votis)
Laudibus accumulat meritum; nec Prædia tantùm
Noſtra probat, læto recitat ſed carmina vultu,
Imperii plenâ rebus quæ mente tenebat.
Ad (*a*) Proceres alios, grates acturus, ab illo
Advolo: (*b*) regalis cuſtos poſitorque ſigilli,
Verſaliis qui ſolus erat, gratatur amicè
Quod tulerat judex decretum: plurima noſtram
Adjicit ad laudem: mihi quæ ſuaviſſima credes,
Ingenium nomenque viri qui nobile noſti.
Omina fauſta vides; nullum ſed certius ipſis
(*c*) Judicibus, quos non favor atque potentia recto
Deflectant à jure, malâ queis Dædalus arte
Nullus inexplicitos calles obturbet iniquis
Flexibus, & legum labyrintho fallere poſſit.
Ipſe ſuos cui Rex libros commiſit, eidem
Bignonio noſtros dedit arctâ lege tuendos.
Digeſtam referet litem rigidiſſimus æqui
Cognitor & vindex. Studiorum & juris amantes,
Qui cauſas & non Partes ac nomina pendunt,
Bignonio excutient jus præſide: Regia noſtrum
Bibliotheca forum eſt; ubi muta volumina cauſam
Ipſa quoque orabunt, conſervatura Toloſæ
Quanta Pariſiacis dant adjumenta Camœnis.

(a) Miniſtri Regii qui judicio interfuerant.
(b) D. de CHAUVELIN Regii Sigilli cuſtos.
(c) Judices deſignati à Rege ut Bercherianæ Bibliothecæ cauſam ſupremo judicio finiant D. Abbas de BIGNON D. Abbas de POMPONNE. D. de GURCHOIX. D. D'ARGENSON. D. de MACHAUD. D. de FORTIA. D. DAGUESSEAU. D. de LAUJEOIX D'IMBERCOUR Cauſæ cognitor.

EPISTOLA SECUNDA.

Ad D. de Caulet in Senatu Toloſano Præſidem infulatum.

Gallicus Parnaſſus ære ſimulatus, æneaque Poëtarum numiſmata.

ADJICIENDA tuis numiſmata ſæpe petiſti:
Occurriſſe novum ſcripſi, nullique repertum
Hactenus: eluſas ſpes indignabere, noſtrum
Si videas os & nomen, ſculptaſque retrorſum
Ruris opes & delicias. Lepidum caput, aies,
Quod loculis inter mea Cæſariana reponam!
Sed qui monſtra virûm Caios ſævoſque Nerones
Ære laboratos inhias; cur ænea Vatum
Ora recuſares vacuis admittere capſis,
Caſtalidum cultor columenque inſigne Sororum.
Longa Poëtarum ſeries texetur; & unum
Si me de numero demis, quos Gallus alumnos
Pindus habet famâ celebres, quos nomine noſti,
Hos etiam vivo poteris cognoſcere vultu.
Cæſaribus ne fortè tuis, non eruta terris,
Signa putes fore dedecori (tibi namque venuſtum
Nil ſatis eſt, veteri quod non ærugine tinctum)
Artificis te ſcire velim non eſſe recentis
Sculpta manu, nova quæ Vatum numiſmata mittam.
Elyſiis Phœbea cohors audivit in agris,
Quos Patriæ paret atque ſibi (*a*) Titonus honores:
Ænea deciperent ne ſpem ſimulachra, ſuaſque
Turparet facies artis manus inſcia; Galli
(Livor edat Latios quanquam Grajoſque) Poëtæ
Obtinuere Deûm præſenti numine, vultum
Sumat ut (*b*) Argileri, terraſque reviſat Apelles;

(a) D. TITON DU TILLET excudi curavit numiſmata Poëtarum, qui à Franciſco I. in Gallia floruere.
(b) D. de LARGILLIERE Regiæ Pictorum & Sculptorum Acad. Rector.

Atque Poëtarum deſignet imagine formas,
Quas operum ſocius, veteris clariſſimus ævi,
Redderet ære Myron, Styge juſſus & ipſe remenſâ
(*a*) Garnerii cælo vultus effingere Vatum,
Phœbeiſque choris paucos admittere, doctâ
Qui fide vel dulci modulantes voce notarunt
Carmina, & Aoniis decus adjecere Camœnis.
  Inſiſtunt operi; cælata ſed uſquè retractant;
Et quorum effigiem ducunt, exempla ſequuntur;
Aſſiduâque manu non feſtinante laborant.
Sola nec ora virûm reddunt: vim carminis ipſam,
Materiemque retro poſitis docuere figuris.
  Jam (*b*) VETURÎ Charites tres unius ore loquuntur,
Jamque micans inter Lauros & Lilia (*c*) Princeps
Fœmina nobilitat Muſas. (*d*) SCARRONIUS acres
Continuoſque jocis recreat luſuque dolores.
Infida quas pauper opum (*e*) MAINARDUS ab Aula
In Patriam retulit, ſolatur Apolline curas.
  (*f*) BENSERADUS, Apes inter, mel & acria præfert
Spicula. Phœbeas (*g*) MALHERBIUS edocet artes:
Primus enim Muſas compeſcuit ille vagantes
Liberiùs; ſtrictâſque dedit, quas audit habenas
Nobile qui lyrico quærit ſibi carmine nomen.
  Aptat utrâque manu (*h*) SARASINUS témpora circum

(*a*) D. GARNIER & D. CURE cælatores eximii, Poëtarum Numiſmata Gallicumque Parnaſſum claborarunt.

(*b*) VOITURE. In averſa Numiſmatis ejus parte ſculptæ ſunt tres Charites addito hoc Saraſini verſu in laudem Veturii. *Je les fais à mon badinage.*

(*c*) MARGARITA Regina Navarræ, ſoror Franc. I. in averſa area, Bellis (flos vulgo Margarita dictus) inter Lauros & Lilia, cum hac inſcriptione. *Elle brille au milieu des Lys & des Lauriers.*

(*d*) SCARON. Genius manu tenens facetiarum ſeu amabilis dementiæ effigiem Herculeæ clavæ ſimilem. Ad pedes Hydra proſtrata. *J'ai vaincu la douleur par les ris, par les jeux.*

(*e*) MAYNARD. Genius ſub Lauro meditans. *Las du monde Apollon remplit tous mes deſirs.*

(*f*) BENSERADE. Alvear in horto floribus conſito, Apeſque circumvolantes. *Avec le miel nous portons l'équillon.*

(*g*) MALHERBE. Genius Lauro incumbens. Tres circum Poëtæ quorum primus tubam gerit, alter cytharam, tertius librum & calamum. *Je leur apprends le langage des Dieux.*

(*h*) SARASIN. Genius contextos in orbem flores utrâque manu geſtans, tenenſque inſuper dextra Laurum, ſiniſtra Myrteam coronam. *Je joins aux fleurs le Myrthe & le Laurier.*

Floribus & Myrto textam Lauroque coronam.
(*a*) Lainius, Edonii celebrat qui munera Bacchi,
Pampineas Vitis frondes Myrtoque tenellæ
Addidit, & partæ per bella Suevica Lauro.
Ultima (*b*) Marotus poſt fata ſuperſtite verſu,
Nil obitum curat. Qui miſcuit utile dulci,
Floribus & fructu formoſam (*c*) Scævola Citrum
Oſtentat. (*d*) Rapinus aquis felicibus hortum
Pomiferum, nemora, & flores *fœcundat & ornat.*
Ingenuos (*e*) Comirî mores & carmina Cygni
Deſignant canor argutus, candorque. (*f*) Ruæo
Mercurius pater eloquii, Phœbuſque, Sororum
Pieridum præſes, votis concordibus afflant.
(*g*) Maresius cytharæ ſociat modulata (*h*) Lalando
Cantica; Verſaliæ queis perſonuere tot annos.
Nondum alios fuſo ſimularunt ære Poëtas.
Santolium merito dubitant quo lemmate donent:
Hic cytharas, hortum dat floribus alter olentem.
Illi Sequanicos vellent appingere fontes;
Creditur his placitura magis Burgundica Vitis.
Hymniferum (major Vatis quæ gloria) malim.
Altera quin poſſum, viſu pulcherrima, dignè
Scribere quæ ſumptu poſuit monumenta ſuperbo
Muſarum Titonus amans; ut rurſus in ære
Spiranti vivant, ſua qui per carmina dignos
Laude viros vetuere mori; decorique ſit idem

(*a*) LAINES. Ejus carmina Bacchica, amatoria & heroïca de Carolo XII. Suevorum Rege, triplici coronâ deſignantur Pampinea, Myrteâ & Laureâ. *Je les merite toutes trois.*

(*b*) CLEMENT MAROT. Laureus Hederaceuſque circulus, in cujus medio leguntur hæc verba ab ipſo deſumpta. *La Mort ny mord.*

(*c*) SCÆVOLA SAMMARTANUS. Citrus. *Dat flores & fructus.*

(*d*) RENATUS RAPINUS aquæ jactus in horto. *Fœcundat & ornat.*

(*e*) COMIRIUS. Cygnus. *Candorque Canorque.*

(*f*) CAROLUS RUÆUS concionator & Poeta. Mercurius & Apollo junctis manibus. *Concors aſpirat uterque.*

(*g*) MARAIS. Genius cytharam tenens. *Elle reçoit de lui ſon plus grand luſtre.*

(*h*) LALANDE, qui regiæ Muſicæ præfecturam habuit per annos 40. Verſalianæ ædis facies una cum duobus geniis quorum unus cytharam tenet, alter canentium moderatorem repræſentat. *Ses chants divins penetrent juſqu'aux Cieux.*

Et ſtimulo decretus honor; ſperataque laudis
Præmia Phœbeos recreent acuantque labôres.
Ergo opus egregium, magni quod Principis eſſet,
Privatis opibus Gallum formavit ahenâ
Effigie Pindum; ſuus eſt ubi cuique Poëtæ
Pro meritis locus exanimi; viviſque ſuperſunt,
Quas teneant olim poſt fata noviſſima, ſedes.
At neque divitias tantùm, bene prodigus auri,
Sed promptas, queis divitior Titonus abundat,
Ingenii quoque fudit opes; fandique peritus
Explicuit ſermone, breves quod in ære figuræ
Objiciunt oculis; Liber ut vulgatus in orbem
Latiùs æternos Vatum protendat honores.
Ænea, marmoream decorans auroque nitentem
Abs tellure baſim, moles circumdata ſignis,
Non confuſa tamen, veterique ſimillima Pindo,
Unius in faciem montis conſurgit: acumen
Occupat; inque pedes erectus Pegaſus, alas
Pandit; & ad ſuperas enititur arduus arces.
Stat propior, manibuſque tenet quæ fræna furenti
Injiciat Genius; ſi (*a*) Bellerophontis & œſtri
Immemor affectet nubes Equus aliger altas;
Aut ſine lege vagos ineat per inania curſus.
Culmina ſumma tenet, Pindi regnator, Apollo;
Cujus in auguſto Lodoix agnoſcitur ore:
Verus enim Pindi Deus eſt, qui laude Poëtas
Et mercede acuit, præbetque canentibus acta,
Mens quibus heroo poſſit conſurgere verſu.
Ad lævam ſedet inferior, qui Sequana Vatum
Irrigat altricem numeroſis fontibus urbem.
Stant infra Charites manibus per mutua nexis,
Atque levi pede ſaltantes; pulcherrima cunctis,
Sed non una tamen facies: jucundior (*b*) illi
Vultus & arridens: (*c*) huic mollior atque videri
Lubricus: (*d*) huic mixtâ lenis gravitate: ſorores

(*a*) BELLEROPHON ope Pegaſi alati in cælum evolare tentans, immiſſo per Jovem œſtro, excuſſus Equo, obiit.
(*b*) D. de SCUDERI. (*c*) D. De la SUZE. (*d*) D. des HOULIERES. Quod de vultu dicitur, de earum carmine intellige.

Tres uno propè par ad carmen Apolline natæ.
Hinc illincque novem varia ſub imagine Vates
Et numero totidem referunt & carmine Muſas.
Sunt altè vincti tragico qui crura cothurno,
Heroas ſcenis agitant: (*a*) Hic fulgidus auro
Stat patria ſub veſte: togam gerit (*b*) ille: Racini
Spirat in ore lepor Gallus: Cornelius altos
Fronte refert, quales animoſo in carmine ſenſus.
(*c*) Ille viâ quaſi laſſus adhuc requieſcit in umbra;
Et reparat facili ſed culto carmine vires
(*d*) Sunt qui bella canunt lituo: quos (*e*) ille refrænat
Ridiculo mores, ſatyris mordacibus (*f*) alter
Inſequitur. Canit (*g*) hic ſegetes & Troica bella:
Virgiliique tubâ recreat vel arundine molli,
Fabellis (*h*) alius quos erudit ore Ferarum.
Felix ille, ſuâ ſi nunquam voce locutus,
Uſque Lupi Vulpiſque dolos, nec furta referret
Altera; ſed pecudes ſolas, melioraque fantes
Induxiſſet Aves; nec quos à crimine fictis
Amovet hiſtoriis, veris peccare doceret.
Pindarico graviora (*i*) alii dant carmina plectro,
Quæ blandis aptat fidibus, vocique canoræ
(*l*) Lullius, Aonios inter numerandus alumnos.
Eſt & adhuc locus, interitu ſed emendus amaro;
Poſtquam mors verax & inexorata ſigillum
Addidit, & verſus ſignavit Apolline dignos.
Vidi (*m*) quem ſocium non invidioſus habebit
Lullius, & (quanquam Scriptorum cenſor acerbus,)
(*n*) Quem propiùs ſibi (*o*) Bollæus gaudebit adeſſe:
Vidimus & ſedem tibi Fontenelle paratam;
Quam, ſi vota Deo mea ſint audita, tenebis
Serior: Authores tamen inter luce carentes
Non poſitum miror; cùm jam cultiſſima dudum
Neſtoream ſuperent tibi ſcripta volumina vitam.

(a) RACINE (b) P. CORNEILLE.
(c) CHAPELLE, itineris ſui ſcriptor.
(d) RACINE. (e) MOLIERE. (f) BOILEAU DEPREAUX. (g) SEGRAIS. (h) La FONTAINE. (i) QUINAUD. (l) LULLY. (m) CAMPRA. (n) ROUSSEAU. (o) BOILEAU.

Permiſtim, non muta, ſedent ſimulachra locorum
Atque hominum Genii: nam Vatum inſignia portant;
Atque docent humili ſocco, grandive cothurno
Vel citharâ, gravibuſque tubis, mollique cicutâ
Inſtiterit quam quiſque viam: brevioribus iidem
Quorum ſtare locis non poſſunt corpora, vultus
Cælatos yel in ære gerunt; gratiſſima Phœbo
Nomina vel longo deſcripta volumine produnt.
Ille legit flores: illuſtribus ille trophæis
Induit Ilignes truncos: hic præmia doctæ
Frontis, ad arbitrium Phœbi donanda, virenti
Sedulus aut Myrto texit Laurove coronas.
Alter ad ingenuas invitat Apollinis artes;
Victriceſque manu palmas oſtendit; iterque
Edocet ad Pindum ſacra per veſtigia, Galli
Quæ Vates tenuere novem, quos indice monſtrat.
Arduus & præceps locus eſt, ſed olentibus idem
Dulcè viret Myrtis, ſemperque recentibus halat
Floribus; æternos oſtentat frondis honores
Laurea: dat thalamos meditantibus herba Poëtis,
Irriguâ quam fons Heliconius educat undâ.
Formoſi, juga Titonus per ſaxea, ruris
Delicias ſerit; ùt doceat per acerba locorum
Difficiles quàm ſint aditus ad culmina Pindi.
Et ne fortè labor magnis abſterreat auſis;
Indicat obſcuro nemora inter læta receſſu
Per teneras Myrtos quàm fortunata tenenti
Vel ſummum mediumve jugum peragatur amænis
Vita locis: neque enim eſt ſtudiis & divite venâ
Auxilium contra curas & tædia majus.
Nil gravius contrà invito quàm ſcribere Phœbo;
Et cùm tutus agrum poſſis decurrere planum,
Per Pindi ſalebras iter affectare negatum
Ingenio. Bonus, atque favens conatibus ipſis,
Carpere Titonus temeraria noluit auſa.
Nuda ſacri facit ima jugi, nec imagine Vates
Exprimit inſulſos. Atqui potuiſſet in ære
Sculpere cantantes Cygnos, quibus obſtrepat Anſer,

Et Pigras Anates, roſtro quæ lenta procaci
Conturbent ſtagna, aut Aquilas tueantur iniquis
Sublimes oculis, vel ineptâ voce laceſſant.
  Sed veluti fœdos ſtellantibus occulit alis
Pavo pedes; ita Parnaſſi moderator aheni,
Illius opprobrium, ſignis effingere parcit
Vatum imbelle genus bifidi ſuperare volentum
Summa jugi, nervis qui deficientibus hærent,
Defixis cœnum per ineluctabile plantis:
Imâ valle jacent turpes; luteoque fluentes
Carmine, Ranarum grege cum ſtrepitante coaxant.

INDEX RERUM.

DE *Amicitia Regi.* Pag. 3
Ecloga I. Amicitiæ natura & ortus, ejuſdem commendatio & character variis amicorum factis expreſſus. 7
Ecloga II. Amicitiæ pares conciliandæ. 18
Ecloga III. Amicorum delectus. 25
Ecloga IV. Peſtes quibus interire ſolent amicitiæ. 33
Ecloga V. Amicorum officia. 41
Ecloga VI. De diſſolvenda amicitia. 50
Ecloga VII. Officia erga amicum levem & ab amicitia diſcedentem. 57
Ecloga VIII. Officia erga amicum demortuum. 63
Ecloga ſacra. De amore divino. 70

ECLOGÆ VARIÆ.

ECloga I. Ad Sereniſſimos Burgundiæ & Biturigum Duces, poſt deductum in Hiſpaniam Philippum Regem. 78
Ecloga II. Ad D. de Bon ſupremæ Monſpelienſium curiæ Præſidem. 81
Ecloga III. de Lugduno. 86
Ecloga IV. ad D. de Campiſtron. 95
Ecloga V. poſt aſſignatam Aſtronomo in Occitaniæ comitiis penſionem annuam, quam authori dandam cenſuerant aliquot Provinciæ Proceres. 97
Ecloga VI. de Curſonia nobiliſſima puella, hodie Domina de Maupeou. 101
Ecloga VII. Allegorica. 104
Ecloga VIII. VER. 108

EPISTOLÆ VARIÆ.

AD D. de la Berchere Archiepiſcopum Narbonenſem Bibliotheca ſua epiſtola. 111

S

Eadem Bibliotheca Regi. Pag. 115
Ad Eminentiſſimum Cardinalem de Fleury Apum dedicatio. 117
Ad D. Præſidem de Lagorrée Columbarum dedicatio. 119
Ad Columbas Gallicis verſibus redditas. 121
Dedicatio Vitis ad D. Joan. de Biſcaras Epiſcopum Biterenſem. 123
Ad D. Devic Senatorem Toloſanum. 125
Ad R. P. le Telier. Delphini tumulus Gallicis verſibus redditus. 128
Ad D. de Vertamon Conſeranenſium Epiſcopum 144
Ad D. de Reſſeguier Senatorem Toloſanum. 145
Ad eundem. De Amœniſſima ejus Villa. 148
Ad D. Charles Medicum Biterenſem. 151
Ad D. de Caulet in Senatu Toloſano Præſidem infulatum. 152
Ode Godelini Latinis verſibus reddita, ad eundem Præſidem miſſa. 154
Ad D. de Rouſſet Epiſcopum Biterenſem. 164
Ad D. Lamonium Bavillaum ventorum in æſculum conjuratio. 166
Ad R. P. de Linieres Regi à Confeſſionibus. 169
Ad R. P. Cleric è Societate Jeſu. 171
Ad D. Jac. Dupont Priorem Monaſterii B. Mariæ Berdonarum, Ordinis Ciſtercienſis. 172
Chriſtus Moriens. 173
Ad D. de Colomez Toloſatem. 179

EPIGRAMMATA.

EPigrammatum dedicatio. 181
Inſcriptiones ſtatuæ Ludovici Magni. 285
Inſcriptiones 12. Cæſarum, aliæque. 188
Epigrammata in laudem variorum. 193
Epigrammata ſatyrica. 200
Epigrammata moralia. 204
Sapientum dicta. 211
Hymnus B. Regio è Societate Jeſu. 221
Hymni Sanctis Martyribus Nazario & Celſo. 222
Epiſtola Pariſiis Toloſam ſcripta, 225

APPROBATIO.

EX mandato Illuſtriſſimi Regiorum Sigillorum Cuſtodis, ego infrà ſcriptus perlegi *Jacobi Vanierii è Societate Jeſu Opuſcula Poëtica*, quorum elegantia ac ſuavitas, vel ipſis Auguſti temporibus, magnam Auctori famam peperiſſent; & hæc typis digniſſima judicavi. Datum Pariſiis, die 23. Novembris 1730.

ANTONIUS DANCHET,
Cenſor Regius.

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS.

EGo Amandus Deali è Societate JESU, in Provincia Toloſana præpoſitus Provincialis, concedo ut Typis mandentur *Opuſcula Poëtica. P. Jacobi Vanierii Societatis Jeſu*, ab aliquot ejuſdem Societatis Patribus approbata. Datum Toloſæ die 22. Januarii 1725.

AMANDUS DEALI.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlemens, Maitres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévot de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: Salut. Notre bien amé le Pere Jacques Vaniere de la Compagnie de Jeſus nous ayant fait expoſer qu'il ſouhaiteroit faire imprimer & reimprimer, & donner au Public un ouvrage de ſa compoſition, *Jacobi Vanierii è Societate Jeſu Operæ*, s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de continuation de privilege & impreſſion ſur ce neceſſaires. A ces cauſes, voulant traiter favorablement ledit Expoſant, & te-

connoître ſon zele, Nous lui avons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer & réimprimer ledit ouvrage ci deſſus ſpecifié, en tels volumes, forme, marge, caractere, conjointement ou ſéparement, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de ſix années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires-Imprimeurs & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit ouvrage ci-deſſus expliqué, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, ſous quelque pretexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction étrangere ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe ou par écrit dudit Expoſant ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans; dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts; à la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de cet Ouvrage ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant de les expoſer en vente, le manuſcrit ou imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſinn dudit Livre, ſera remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, & Garde des Sceaux de France le ſieur CHAUVELIN; qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France le ſieur CHAUVELIN; le tout à peine de nullité des Preſentes. Du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement: Voulons que la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit ouvrage, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original: Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion; & nonobſtant Clameur de Haro, Charte-Normande & Lettres à ce contraires: Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris, le 17. Mars, l'an de grace 1730. & de notre Regne le quinziéme; Par le Roy en ſon Conſeil. NOBLET.

Regiſtré ſur le Regiſtre VII. de la Chambre Royale, &c. A Paris le 20. Mars 1730.

Signé, P. A. LE MERCIER, *Syndic.*

ERRATA.

Pag. 2. Utiliore tibi fidæ, *lege* fidæ. *Pag.* 93. Culmina marmoreis, illi. *lege* Culmina, marmoreis illi. *Pag.* 112. Exitii ſexcenta movnet, *lege* movent.

A01 1465241

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



